OFFICIA PROPRIA
ARCHIDIŒCESIS
PARISIENSIS

AUCTORITATE S. R. C. APPROBATA

ET DE MANDATO

EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI


MAURITII CARDINALIS FELTIN

PARISIENSIS ARCHIEPISCOPI

EDITA

500.282

PARS VERNA



TURONIBUS
TYPIS MAME
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ ET SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS
TYPOGRAPHORUM

Scanné avec CamScanner

OFFICIA PROPRIA
ARCHIDIŒCESIS PARISIENSIS

PARS VERNA

FESTA FEBRUARII

DIE 13 FEBRUARII

BEATI REGINALDI

CONFESSORIS

Semiduplex (m. t. v.)

In II Vesperis præced. Ss. Septem Fundatorum fit Com. seq. :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Confessórem tuum Regináldum singulári sanctíssimæ Genitrícis tuæ protectióne donásti : illíus nobis méritis et précibus concéde ; ut ejúsdem gloriósæ semper Vírginis perpétuo muniámur auxílio.

Deinde Com. Feriæ.

In I Nocturno Lect. Beátus vir, de Comm. 1º loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Regináldus post medietátem sǽculi duodécimi in Gállia ortus est. Adoléscens tam sédulam lítteris sciéntiísque coléndis óperam dedit, ut deínceps juris laúrea insignítus, sacros cánones in florentíssima Parisiénsi Académia per quinquénnium interpretarétur. Auréliæ in Céltica Gállia eléctus decánus

Scanné avec CamScanner

ecclésiæ et collégii canonicórum sancti Aniáni, tum vitæ integritáte, tum doctrína clero et pópulo prælúxit. Póstea hierosolymitánam peregrinatiónem cum Aurelianénsi epíscopo peractúrus, ineúnte anno millésimo ducentésimo octávo Romam venit. Ubi a sancto Patriárcha Domínico ad apostólicam vitam in órdine Prædicatórum consectándam invitátus, voto se prompte ad ejus institúti professiónem obstrínxit. Cum autem letháli febri corréptus esset, clementíssima Virgo María, beáti Domínici exoráta précibus, ei adstitísse perhibétur ipsúmque a morbo atque ab omni carnis stímulo liberavísse ; hábitus forma illi ínsuper osténsa, quem Fratres Prædicatóres indúere debérent.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

His ítaque ab eódem beáto Patre in cœnóbio sancti Xysti indútus véstibus in Palestínam navigávit et sacra humánæ Redemptiónis loca invísit. In Itáliam revéctus et a sancto Domínico Bonóniam missus, ut vicáriam pro ipso nascéntis in ea urbe Prædicatórum famíliæ curam géreret, conféstim in se illórum cívium óculos convértit ob insígnes virtútes, quibus ornátus appáruit. Cumque ad hæc accéderet, ingens ejus elóquii vis, quo vel sáxea corda ad virtútem inflammábat, efférbuit ad ejus prædicatiónem miro christiánæ pietátis ardóre Bonónia tota, ut alter véluti Elías in ea surrexísse viderétur. Hinc vix uníus anni spátio opportuniórem ecclésiam et ædes pro Frátribus obtínuit, ádeo ut, quæ prius exígua omníno erat, Prædicatórum família valde excréverit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum,

* Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

TAM céleres uberésque fructus admírans, Bonóniam revérsus Patriárcha Domínicus, fidélem Christi minístrum Parísios remitténdum curávit ut in Gallórum metrópoli, ubi júnior canónici juris doctor florúerat, excellentiórem adhuc caritátis sémitam homínibus demonstráret. Páruit sine mora óbsequens fílius et Lutétiam properávit. Sed cum paulo post, dum indeféssus inībi Jesum Christum verbo et ópere prædicáret, jamque beátum Jordánem, sancto Institutóri in suprémo magistrátu Ordinis próxime successúrum, ad religiónis professiónem admisísset, morte pretiósa ad Dóminum evolávit circa inítium mensis februárii, anno vigésimo supra millésimum bis centésimum. Cum recens esset Parisiénse cœnóbium sancti Jacóbi, cónditus est in Ecclésia sanctæ Maríæ de Campis. Ejus autem sepúlcrum íllico clarére cœpit miraculórum fama, magnóque concúrsu populórum Regináldi opem, præsértim ad febres abigéndas, implorántium ac ei públice deferéntium Beatórum cultum. Quem numquam intermíssum Pius nonus, Póntifex Máximus, apostólica auctoritáte firmávit et festum quotánnis celebrándum indúlsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia te vidi. Glória Patri. Quia te vidi.

In III Noct., Homilia in Evang. Sint lumbi vestri, de Comm. 1º loco.

Lectio ix de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

OMNÍPOTENS sempitérne Deus, qui beátum Confessórem tuum Regináldum singulári sanctíssimæ Genitrícis tuæ protectióne donásti : illíus nobis méritis et précibus concéde ; ut ejúsdem gloriósæ semper Vírginis perpétuo muniámur auxílio : Qui vivis.

Et fit Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore manu.

Et fit Com. Feriæ.

Deinde Com. S. Valentini Presb. et Mart. :

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit ; fundátus enim erat supra firmam petram.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

PRÆSTA, quǽsumus, omnípotens Deus : ut qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per.

DIE 25 VEL 26 FEBRUARII

BEATÆ ISABELLÆ

VIRGINIS

Simplex

Pro Com. ad Laudes :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEUS, qui per beátam Isabéllam sacrárum vírginum famíliam, in honórem humilitátis beatíssimæ Vírginis Maríæ floréscere voluísti : concéde ; ut ejus précibus et imitatióne tibi puro et húmili corde placeámus. Per.

Scanné avec CamScanner

FESTA MARTII

FERIA VI POST DOM. I QUADRAGESIMÆ

SACRORUM TROPÆORUM PASSIONIS D. N. J. C.

Duplex II classis

IN I VESPERIS

Antiphona 1

AGNUS coronátus rubo, * trajéctus crucis báculo, nos redémit a peccáto.

Pss. de Dom., sed loco ultimi dicitur Ps. 116 Laudáte Dóminum.

2 Clavus Christum cruentávit, * sed qui mortem superávit, vicem nobis vitam dedit.

3 Gaude, * plebs christianórum, pia gens Parisiórum, sacris illis de Tropǽis.

4 Christo redde múnia, * cui tanta per torménta impréssa sunt vúlnera.

5 Tibi dedit ad salútem * corónam, clavos, et crucem, ut sequáris Ipsum ducem.

Capit. Apoc. 6, 2

VIDI, et ecce equus albus; et qui sedébat super illum habébat arcum, et data est ei coróna, et exívit vincens ut vínceret.

Hymnus

ARIS colénda públicis
Tropǽa sacra tóllite:
Christo quod olim dédecus
Fidélibus nunc gáudium.

Advérsus hostem cállidum
Hæc signa sunt victóriæ,
Tactu litáti córporis
Hæc sunt amóris pignóra.

Priscis Hebrǽis scándalum
Et géntibus deméntia,
Crux illa terror dǽmonum
Obténtus et charísmatum.

Jesu dolórum cónscia,
Salve coróna nóbilis,
Gemmis et auro púlchrior,
Præcéllis orbes síderum.

Squalóre nuper óbsitis,
En rédditur clavis honor,
Onus pium qui fígerent
Digni, Deo sunt próditi.

Virtus, salus, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sǽcula.
Amen.

Scanné avec CamScanner

℣. Repónes in cápite Pontíficis corónam. ℟. Hæc erit in templo Dómini in memóriam.

Ad Magnif. Ant. In médio civitátis * lignum Vitæ, cujus fólia sunt pro géntium salúte.

Oratio

Deus, cujus Unigénitus spinis cruentátus clavísque ligno affíxus, sacra nobis suæ Passiónis relíquit tropǽa : præsta sic illum sequi valeámus crucémque nostram tóllere, ut mereámur corónam ætérnæ glóriæ. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Com. Feriæ :

Ant. O múlier, magna est fides tua : fiat tibi sicut petísti.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Oratio

Da, quǽsumus, Dómine, pópulis christiánis : et, quæ profiténtur, agnóscere, et cæléste munus dilígere, quod frequéntant. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Regem spinis coronátum et clavis affíxum Cruci : * Veníte, adorémus.

Ps. Veníte, exsultémus.

Hymnus

Per ligni nefas pábulum
Sæva mundum mors súbruit :
Per ligni sed patíbulum
Vita mundo reflóruit.

Idem fert lignum Isaac
Quo Noe fertur, týpicum,
Quod David contra Góliath,
Elisǽus ad púerum.

Sanat percússos mórsibus :
In trabe Serpens ǽneus
A fíliis Ecclésiæ
Repéllat virus sátanæ.

Arbore pendens qui sitit,
Acéti potum réspuit,
Ut donum Dei sáliat,
Et unda salútis fluat.

O Crux Christi supplícium,
Homínibus remédium,
Te, liber ab exítio,
Orbis adórat mérito.

Patri perénnis glória,
Laus ejus proli débita,
Spirítui præcónia
In sæculórum sǽcula.
Amen.

Scanné avec CamScanner

In I Nocturno

Ant. 1 Erit tamquam lignum * quod plantátum est secus decúrsus aquárum, et fructum suum dabit in témpore suo.

Pss. trium Noct. de Comm. unius Mart.

Ant. 2 Convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Ant. 3 Suscéptor meus es, * Dómine, glória mea et exáltans caput meum.

℣. Hæc tiára sacerdótis. ℟. Et gálea triumphántis.

Pater. Absol. Exáudi.

Bened. Benedictióne perpétua.

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 53, 2-11

VÍDIMUS eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum; despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum et sciéntem infirmitátem, et quasi abscónditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit, et nos putávimus eum quasi leprósum et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Christus spinis vulnerátus, corónabit nos Dóminus * In miseratiónibus. ℣. Sciens ille dolórem atque infirmitátem. In miseratiónibus.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii

OMNES nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit, et pósuit Dóminus in eo iniquitátem omnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit et non apéruit os suum, sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet et non apériet os suum. De angústia et de judício sublátus est. Generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium; propter scelus pópuli mei percússi eum.

Scanné avec CamScanner

℟. Dixit Abraham : Fili mi, Deus providébit sibi * Víctimam holocausti. ℣. Aspiciébat hæréntem inter vepres aríetem præsignántem Christum regem. Victímam holocáusti.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

Et dabit ímpios pro sepultúra et dívitem pro morte sua, eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte. Si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longǽvum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur. In sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos et iniquitátes eórum ipse portábit.

℟. Cernens quod Móyses pérgeret ad vidéndum, dixit ei Dóminus : * Huc ne apprópies, solve calceaméntum. ℣. Etenim sanctus est locus, in quo stas et ardet rubus. Huc. Glória Patri. Huc.

In II Nocturno

Ant. 4 In tribulatióne * dilatásti mihi.

Ant. 5 Dómine, * ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Ant. 6 Glória * et honóre coronásti eum, Dómine.

℣. Dóminus hæret stípiti. ℟. Tenácius vínculis amóris.

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

In Redemptóris nostri Dómini Jesu Christi sacratíssima Passióne sic nos gloriári opórtet, ut ipsíus Passiónis cuncta mystéria dinumerántes et mérita, síngulis étiam ejus salutáribus instruméntis gloriémur. His própriis venerándi Pontíficis Innocéntii Papæ secúndi dictis, atque sequéntibus obsecúndans decrétis, speciále hódie festum célebrat Parisiénsis ecclésia. Ipsa enim præter insígnes relíquias sacratíssimæ Crucis et spíneæ Corónæ, unum e Clavis Passiónis cum altérius cúspide possidére gáudet. Clavus ille

ab imperatóre Cárolo Magno Aquisgráni primum depósitus, inde a Cárolo Calvo in abbátiam sancti Dionýsii abdúctus, ibi usque ad finem sǽculi décimi octávi honorífice recónditus est, cui adhærébat e ligno Crucis partícula. Hæc cuspis prius fuit Joánnis Casimíri, Polóniæ regis, deínde Annæ e princípibus Gonzága, tandem monachórum sancti Germáni a Pratis. Nostris vero diébus, hi salútis clavi custódiæ Capítuli Ecclésiæ Nostræ Dóminæ Maríæ commíssi sunt. Reclúditur cuspis infra Crucem quam Palatínam vocant. Hæc crux excússa créditur e stípite cui affíxus Jesus Christus exaltávit hóminum natúram: nam tália græce fert scrínium a Comnéno Manuéle Imperatóre ex auro cónditum. Eámdem crucem Anna Gonzága in testaménto asséruit se vidísse, flammis obvolútam prorsus incombústam.

℟. Arcam deaurábis et mensæ lábium, * Atque dabis illi corónam per gyrum. ℣. Altáre fundábis thus ad adoléndum. Atque.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Coróna spínea, ut auctóres sunt Paulínus Nolénsis et Gregórius Turonénsis, Constantinópoli diu serváta est. Balduíno imperánte, Græci eo penúriæ devenérunt obséssi, ut ad vitam sustinéndam sacra profánaque véndere, et Corónam Christi spíneam pígnori dare cogeréntur. Quod ubi audívit Ludovícus nonus rex Francórum, sacrum pignus redímere cúpiens, duos ex Ordine Prædicatórum misit, quibus, Constantinópolim præpóstere adveniéntibus, renuntiátum est Corónam Vénetis pígnore jam obligátam esse. Rex conféstim núntios Venétias remísit, qui sacram Corónam auro multo redémptam in Gálliam adsportárent. Quod ægre quidem sed ex convéntis Venetiáni præstitérunt. Ut vero nuntiátum est Trecas pervenísse legátos, rex Ludovícus cum matre et procéribus episcopísque Senonénsi et Aniciénsi, óbviam proféctus, die festo sancti Lauréntii

anno millésimo ducentésimo tricésimo nono, sacrosánctam Corónam non sine multis lácrimis contemplátur. Postrídie rex nudis pédibus, sola indútus túnica, Robérto fratre comitánte, inter clerum et plebem suis húmeris illam tollit.

℟. In vestiménto et in fémore habet scriptum : Ego Rex regum et Dóminus dominántium. * Et dicébant ad Jesum : Ave Rex Judæórum. ℣. Atque veste purpúrea circumdedérunt eum. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Inde Parísios delátam, in régio sacéllo Palátii depósuit. Póstea Sanctam Capéllam ædificávit, ut spíneam corónam et amplas tres olim in Constantinopolitána urbe venerabíliter collocátas vivíficæ crucis Christi portiónes ipsi a Balduíno concéssas tégeret. Ex his nunc súperest Crux sancta quæ, etsi diminúta, mérito magnam portiónem próprium habet vocábulum in diplómate apud Sanctum Germánum in Laia subscrípto, mense júnii anno octávo impérii Balduíni. Anséllus autem Parisiénsis olim cathedrális canónicus, post expeditiónem in terram sanctam factus præcéntor ecclésiæ Sancti Sepúlcri Jerosólymis, lítteris ad epíscopum et ad Capítulum missis, Lutétiæ Parisiórum civitáti quamdam crucem trádidit, anno millésimo nono die prima augústi suscéptam. Hæ porro pretiósæ relíquiæ lugéndis tumúltus Gállici tempóribus sublátæ, rite recógnitæ, in Capítuli sacrário reserátæ sunt. Omnia hæc sacra Passiónis Tropæa, una cum Cruce Renáti Regis statis diébus fidéles pia veneratióne concélebrant.

℟. Spina pungit cor elátum et emóllit indurátum. * Percussóris lethália retúndit diri spícula. ℣. Aptior palma triúmphis acúleos mutat rosis. Percussóris. Glória Patri. Percussóris.

In III Nocturno

Ant. 7 Peccatóres * intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum.

Scanné avec CamScanner

Ant. 8 Ingréssus * sine mácula et operátus justítiam, coronátus est in monte sancto suo.

Ant. 9 Quóniam rex * sperávit in Dómino, lætábitur in salutári tuo.

℣. Innixus Rex cælórum scala. ℟. Ad se Christus trahit ómnia.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 1-2

In illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit ; et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Hierosolymitáni

Cateches. 13

Res incredíbilis profécto est, Deum, Dei Fílium et bráchium Dómini, ista pérpeti. Sed ne id crédere recúsent qui salvi fiunt, hoc prædícit Spíritus Sanctus ex persóna Christi dicéntis : Dorsum meum dedi in flagélla. Qui tunc ea loquebátur ipse póstea præsens erat : Pilátus enim illum flagellátum trádidit ad crucifigéndum. Et maxíllas meas dedi in álapas : fáciem vero meam non avérti a probro sputórum. Quasi díceret : Prævidens quod me verberatúri sunt, neque maxíllam léviter defléxi. Quómodo enim discípulos ad mortem pro veritáte obeúndam roborárem, si hoc ipse pavéscerem ? Ego dixi : Qui amat ánimam suam, perdet eam : si vitæ amans fuíssem, quómodo docérem, non fáciens quæ docérem?

℟. Mílites præsidis corónam de spinis dixérunt plecténtes : Patiéntiam illíus contumélia probémus. * Alapis eum cædébant, genu flexo illudébant. ℣. Corónam posuére in ejus cápite. Alapis.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio viii

In figúra regnum adumbrátur : illúdunt síquidem, sed genufléctunt, crucíque illum affígunt mílites, injécta prius púrpura, et corónam circumpónunt ejus cápiti,

quamquam spíneam : quid inde? Rex omnis a milítibus proclamátur. Opórtuit et Jesum in figúra a milítibus coronári ; ita ut proptérea Scriptúra in cánticis dicat : Egredímini, et vidéte, Fíliæ Jerúsalem, regem Salomónem in coróna qua coronávit eum mater sua. Mystérium vero erat étiam coróna illa : solútio enim erat peccatórum, absolútio a condemnatiónis senténtia. Accépit condemnatiónem Adámus : maledícta terra in opéribus tuis spinas et tríbulos prodúcet tibi. Proptérea Jesus spinas assúmit, ut solvat maledictiónem.

℟. Quia comédit Adam primus de ligno ; maledícta terra in ópere suo. * Spinas et tríbulos germinávit Christo. ℣. Nobísque erit sciéntia de malo. Spinas. Gloria Patri. Spinas.

Lectio ix de Homilia Feriæ.

AD LAUDES ET PER HORAS

Ant. 1 Ligno * nos liberávit, Dóminus regnávit.

Pss. de Dom. 1º loco.

2 Pro clavórum * dote, Deo jubiláte.

3 Anima * mea sitívit in te, ut vidérem corónam glóriæ.

4 Omnia * Christi tropæa, exaltáte eum in sæcula.

5 Montis * ligna fructífera laudant Dóminum de terra.

Capit. Col. 1, 18

Ipse est caput córporis ecclésiæ qui est princípium, primogénitus ex mórtuis, ut sit in ómnibus ipse primátum tenens.

Hymnus

Exíte, Sion fíliæ,
Regis pudícæ Vírgines,
Christi corónam cérnite,
Quam mater ipsa téxuit.

Horret revúlsis crínibus
Spinis cruentátum caput,
Et vultus ille décolor
Mortem propínquam réspicit.

Culpis satæ mortálium
Te Christe, spinæ vúlnerant,
Evélle nostras, córdibus
Tuásque nostris ínsere.

Virtus, honor, laus, glória,
Deo Patri cum Fílio,

Scanné avec CamScanner

Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Servi crucis crucem laudent. ℟. Vox et vita non discórdent.

Ad Bened. Ant. Exsúlta et lauda, * ecclésia nostra, his a Dómino donis visitáta, et quasi áltera Jerúsalem facta.

Oratio

Deus, cujus Unigénitus spinis cruentátus clavísque ligno affíxus, sacra nobis suæ Passiónis, relíquit tropǽa : præsta sic illum sequi valeámus crucémque nostram tóllere, ut mereámur corónam ætérnæ glóriæ. Per eúmdem.

Et fit Com. Feriæ :

Ant. Angelus Dómini descendébat de cælo, et movebátur aqua, et sanabátur unus.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis suis.

Oratio

Esto, Dómine, propítius plebi tuæ : et, quam tibi facis esse devótam, benígno réfove miserátus auxílio. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Ligno * nos liberávit, Dóminus regnávit.

In ℟. br. ℣. Qui passus es pro nobis.

Ad absolutionem Capituli Lectio brev. Nemo, ut infra ad Nonam 16

AD TERTIAM

Ant. Pro clavórum * dote, Deo jubiláte.

Capit. Ipse est, ut supra 14

℟. br. Ad crucem quæ desoláta, * Lætáre, Nostra Dómina. Ad crucem. ℣. Fílii propter tropǽa. Lætáre. Glória Patri. Ad crucem.

℣. Christi sánguine perfúsi. ℟. Salvéte, salútis clavi.

AD SEXTAM

Ant. Anima * mea sitívit in te, ut vidérem corónam glóriæ.

Capit. Col. 1, 19-20

In ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre et per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.

Scanné avec CamScanner

℟. br. Christi sánguine perfúsi, * Salvéte, salútis clavi. Christi sánguine. ℣. Vos ad scelus judáica elégerat perfídia. Salvéte. Glória Patri. Christi sánguine.

℣. Palpa loca clavórum. ℟. Vide quia ego sum.

Oratio

Deus, cujus Unigénitus spinis cruentátus clavísque ligno affíxus, sacra nobis suæ passiónis relíquit tropǽa : præsta, sic illum sequi valeámus crucémque nostram tóllere, ut mereámur corónam ætérnæ glóriæ. Per eúmdem Dóminum.

AD NONAM

Ant. Montis * ligna fructífera laudant Dóminum de terra.

Capit. Col. 2, 19-20

Nemo vos sedúcat non tenens Caput, ex quo totum corpus per nexus et conjunctiónes subministrátum et constructum crescit in augméntum Dei.

℟. br. Palpa loca clavórum, * Vide quia ego sum. Palpa. ℣. Christus salus hóminum. Vide. Glória Patri. Palpa.

℣. In cruce móritur vita. ℟. Crux certa Vitæ sémita.

IN II VESPERIS

Ant. 1 Agnus coronátus rubo, * trajéctus crucis báculo, nos redémit a peccáto.

Ps. de Dom., sed loco ultimi dicitur Ps. 147 Lauda, Jerúsalem.

2 Clavus Christum cruentávit, * sed qui mortem superávit, vicem nobis vitam dedit.

3 Gaude, * plebs christianórum, pia gens Parisiórum, sacris illis de Tropǽis.

4 Christo redde múnia, * cui tanta per torménta impréssa sunt vúlnera.

5 Tibi dedit ad salútem * corónam, clavos, et crucem, ut sequáris Ipsum ducem.

Psalmus 147

Lauda, Jerúsalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion.

Quod firmávit seras portárum tuárum, * benedíxit fíliis tuis in te.

Compósuit fines tuos in pace, * medúlla trítici sátiat te.

Emíttit elóquium suum in terram, * velóciter currit verbum ejus.

Dat nivem sicut lanam, * pruínam sicut cínerem spargit.

Prójicit gláciem suam ut frústula panis; * coram frígore ejus aquæ rigéscunt.

Emíttit verbum suum et liquéfacit eas ; * flare jubet ventum suum et fluunt aquæ.

Annuntiávit verbum suum Jacob, * statúta et præcépta sua Israël.

Non fecit ita ulli natióni : * præcépta sua non manifestávit eis.

Ant. Tibi dedit ad salútem corónam, clavos, et crucem, ut sequáris Ipsum ducem.

Capit. Apoc. 19, 12

Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in cápite ejus diadémata multa. Et vestítus erat veste aspérsa sánguine, et vocátur nomen ejus Verbum Dei.

Hymnus

Coróna sæviens in Christi cápite,
Sánguis inde fluens hoc docet útile :
Membris ut præfúlgens signum poténtiæ
Venit, véniunt spíneæ.

Clavus dum ádditur exténsis mánibus,
Cuspis inséritur Dómini pédibus,
Deléndum fígitur quod adversárium
Nobis erat chirógraphum.

Crux apud ínferos spóliat tártara
Crux apud súperos justis dat prǽmia :
In cælos apértos transmíttit stígmata
Salvatóris micántia.

Una, te, Trínitas, célebrent cántico
Nostra humílitas atque devótio :
Cǽlitum sánctitas et jubilátio
Te laudent sine término.
Amen.

℣. Crux docéntis cáthedra. ℟. Atque litántis ara.

Ad Magnif. Ant. Collaudémus * Christi passiónem, qui per clavos, corónam et crucem humáni stravit géneris hostem.

Oratio Deus, ut supra 16

Et fit Com. Feriæ :

Ant. Qui me sanum fecit, ille mihi præcépit : Tolle grabátum tuum, et ámbula in pace.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Oratio

Exáudi nos, misericors Deus : et méntibus nostris grátiæ tuæ lumen osténde. Per Dóminum.

DIE 10 MARTII

SANCTI DROCTOVEI

ABBATIS

Duplex

Capit. Beátus vir, et Hymnus de Comm. Conf. non Pont.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Oratio

Deus, cujus múnere beátus Droctovéus Abbas Christum páuperem sequi et húmilem corde usque ad finem persevérávit imitári : da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis, ut nec retro aspíciant, nec in via hæreant ; sed ad te sine offensióne curréntes, vitam ætérnam apprehéndant. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. S. Franciscæ :

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

℣. Diffúsa est grátia in in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

Deus, qui beátam Francíscam fámulam tuam, inter cétera grátiæ tuæ dona, familiári Angeli consuetúdine decorásti : concéde, quǽsumus ; ut, intercessiónis ejus auxílio, Angelórum consórtium cónsequi mereámur.

Deinde Ss. Quadraginta Mm. :

Ant. Istórum est enim regnum cælórum, qui contempsérunt vitam mundi et pervenérunt ad prǽmia regni, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

PRÆSTA, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Postea Com. Feriæ.

In I Noct. Lect. Justus si morte, de Comm. 2o loco.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

DROCTOVÉUS Augustodúni in cœnóbio sancti Symphoriáni magna sanctitáte vitam egit sub sancto Germáno, qui monastério tunc prǽerat, abbas a pontífice Nectário constitútus. Hic inter álios quos hortátu simul et exémplo Christi mancipávit tirocínio, beátum Droctovéum insigníre stúduit schémate monástico, atque adscívit discipulátui suo. Quem pie áluit, et juxta normam sanctórum Patrum, Antónii scílicet et Basílii, vívere instítuit. Régulas præsértim obediéntiæ tradébat, hortabátur ad patiéntiam ac continéntiam, viam humilitátis indicábat. Quæ ómnia Droctovéus aure atténta ac símplici corde audiébat, ut ópere fidéliter constantíque ánimo compléret. Præceptóris ígitur sui Germáni éxstitit sédulus imitátor.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

EXERCÍTIO virtútum ab adoléscéntia sic informátus, dignus fuit qui ad majus offícium proveherétur. Rex scílicet Childebértus una cum Clotário in Hispániam exércitum dúxerat, et Cæsaraugústam obsidióne cínxerat. Tunc illíus urbis cives, ut calamitátes a se suísque tectis religióne propulsárent, túnicam sancti Vincéntii Mártyris Cæsaraugústæ per mœnia circumférre cœpérunt, ejus patrocínium advérsus hostes

pública supplicatióne implorántes. Quam rem Childebértus aspíciens, cum exércitu contínuo discedéndum cénsuit, ne advérsus cælites decertáre cogerétur. Discéssit ítaque, stola sancti Vincéntii pro múnere a cívibus accépta. Quam cum Parísios attulísset, basílicam in ejus honórem ædificándam curávit. Hujus autem ecclésiæ ministérium beátus Germánus, Parisiénsis jam factus epíscopus, mónachis donáre cógitans, quosdam e suis olim sóciis in Æduénsi cœnóbio advocávit, et Droctovéum suum discípulum abbátem monastérii sancti Vincéntii, póstea sancti Germáni a Pratis dicti, constítuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus loricam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Droctovéus, vir venerándus, et, ut ait Fortunátus, sacer méritis honoréque coléndus, jam norma factus monastérii sancti Germáni, gregis sibi commíssi curam pervígili procurávit solértia. Nam véluti homo ille bonus qui de thesáuro cordis sui profert bonum, pábulum doctrínæ ministrábat ómnibus, exémplumque præbébat piis opéribus. In ejus quippe sacro péctore sapiéntia sibi sedem paráverat : idcírco sanctus abbas dulcédine allóquii solabátur mæstos, firmábat dúbios, relevábat profligátos, omnes de virtúte in virtútem commonébat conscéndere. Dénique, cum cursum suum sancte consummásset, obdormívit in Dómino sexto Idus Mártii, sæculo sexto ad finem vergénte. Sepúltus est ad occidentálem plagam basílicæ retro sancti Germáni altáre, in oratório sancti Petri, ubi virtúte ipsíus divína multíplici modo præstántur benefícia.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi,

Scanné avec CamScanner

et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno, Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, de Communi Abb.

Lectio ix de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, cujus múnere, beátus Droctovéus Abbas Christum páuperem sequi et húmilem corde usque ad finem perseverávit imitári : da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis, ut nec retro aspíciant, nec in via hǽreant ; sed ad te sine offensióne curréntes, vitam ætérnam apprehéndant. Per Dóminum.

Et fit Com. Ss. Quadraginta Martyrum :

Ant. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus.

Deinde Com. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Hic vir, despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

Oratio Deus, cujus múnere, ut supra.

Et fit Com. Ss. Mm. :

Ant. Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti : et quia pro ejus amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo exsúltant sine fine.

℣. Exsultábunt et Oratio Præsta, ut supra.

Deinde Com. Feriæ.

Scanné avec CamScanner

DIE 15 MARTII

SANCTÆ LUDOVICÆ DE MARILLAC

VIDUÆ

Duplex

IN I VESPERIS

Capit. Is. 58, 7

FRANGE esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam ; cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Hymnus

FORTEM viríli péctore
Laudémus omnes féminam,
Quæ sanctitátis glória
Ubíque fulget ínclyta.

Hæc sancto amóre sáucia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit, ad cæléstia
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Cæli potítur gáudiis.

Rex Christe, virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu, quǽsumus,
Audi benígnus súpplices.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne sǽculum. Amen.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

DEUS, caritátis auctor et prǽmium, qui novam in Ecclésia tua famíliam suscitásti, ejúsque matrem beátam Ludovícam esse voluísti : da, quǽsumus ; ut, caritátis ópera exercéntes, promíssam in cælis mercédem ássequi mereámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ.

In I Nocturno

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 58, 5-14

NUMQUID tale est jejúnium, quod elégi, per diem afflígere hóminem ánimam

suam? Numquid contorquére quasi círculum caput suum, et saccum et cínerem stérnere? Numquid istud vocábis jejúnium et diem acceptábilem Dómino? Nonne hoc est magis jejúnium, quod elégi? Dissólve colligatiónes impietátis: solve fascículos depriméntes, dimítte eos, qui confrácti sunt, líberos, et omne onus dirúmpe. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam: cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

℟. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde et regna. Quia.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii

Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet: clamábis, et dicet: Ecce adsum, si abstúleris de médio tui caténam, et desíeris exténdere dígitum, et loqui quod non prodest. Cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies. Et réquiem tibi dabit Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit: et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Proptérea.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

Et ædificabúntur in te desérta sæculórum, fundaménta generatiónis et generatiónis suscitábis: et vocáberis ædificátor sépium, avértens sémitas in quiétem. Si avérteris a sábbato pedem tuum, fácere voluntátem tuam in die sancto meo,

et vocáveris sábbatum delicátum, et sanctum Dómini gloriósum, et glorificáveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenítur volúntas tua, ut loquáris sermónem : Tunc delectáberis super Dómino et sustóllam te super altitúdines terræ, et cibábo te hereditáte Jacob patris tui. Os enim Domini locútus est.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Inténde. Glória Patri. Inténde.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus.
Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Ludovíca de Marillac, Lutétiæ Parisiórum claro génere nata, jam a prima ætáte futúræ sanctitátis spécimen dedit. Sæculi vanitátes et juveníllia oblectaménta ódio prósequens, stúdiis et pietátis exercítiis sédulo vacávit. Inde ab adolescéntia de vita religiósa, in moniálium Capulatárum ascetério amplecténda, cogitávit. At vir Dei, cui ánimum suum apéruit, a consílio claustri ingrediéndi eam est dehortátus. Quaprópter, consanguíneis morem gerens, núptias cum António Le Gras, viro piis honestísque paréntibus nato, inívit, et ex eo fílium suscépit, quem ad bonos mores accuratíssime instítuit. In conjugáli statu trédecim annos óptime se gessit, doméstícis præclára præbens prudéntiæ et pietátis exémpla, quin páuperum curam neglígeret, quos frequens visitábat, eórum misérias sublevándo. Biénnio et ámplius curatiónem ægro viro magna cum patiéntia adhíbuit, ac pietáte suísque précibus obtínuit ut is máxima ánimi pace vitam conclúderet.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Nuncupáto viduitátis voto, ad omne egestátis et misériæ genus leniéndum toto ánimo inténdit sub disciplína sancti Vincéntii a Paulo. Inter ália ópera quibus tunc manum admóvit, potíssimum recolénda est visitátio Confraternitátum piárum mulíerum, quarum præcípuum munus erat páuperum, præsértim infirmórum domi degéntium, visitátio et cura. Cúpiens autem Confraternitátum hujúsmodi, Parísiis vigéntium, matrónas in suscépto múnere adjuváre, áliquot óptimæ índolis puéllas, suadénte eódem sancto Vincéntio, apud se accépit instituéndas, ut fidéles essent illárum adjutríces. Hinc exórdium sumpsit in Ecclésia novum sodalítium sub nómine Puellárum a Caritáte. Ipsæ, adhuc Ludovíca vivénte, late diffúsæ sunt, nullósque detrectábant labóres ut ægrótos curárent, derelíctos infántes álerent, adolescéntulas páuperes, apértis scholis, religióne et lítteris imbúerent, mendícos et peregrínos excíperent et refícerent, artífices inválidos sustentárent, deténtos in vínculis públicis solaréntur, mente captis et ipsis milítibus ex vúlnere vel morbo laborántibus assísterent.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Mirum sane quod tam multa et grávia ópera suscéperit, máxime cum infírma semper valetúdine uterétur, ut ipsa ejus vita sancto Vincéntio miráculum grátiæ viderétur. In tot autem caritátis exercítiis virtútes sui magístri æmulári conténdens, simplicitátem, humilitátem, paupertátem, fratérnam dilectiónem impénse cóluit. Per septem et vigínti annos famíliam suam religiósam, non minus exémplo quam verbo, diligénter informávit eamdémque fórtiter ac suáviter rexit. Dénique, mense Februário

anno millésimo sexcentésimo sexagésimo, gravi morbo afflícta, extrémis pétiit réfici Sacraméntis ; quibus devotíssime recéptis, fílias ad perseverántiam in sancta vocatióne et in páuperum cura, ad mútuam dilectiónem, necnon ad Christi Dómini imitatiónem et erga beatíssimam Vírginem devotiónem cohortáta, plácide obdormívit in Dómino, Idibus Mártii, sexagésimo nono ætátis suæ anno nondum expléto. Cæléstem ejus glóriam mirácula confirmárunt. Quibus rite probátis, Summus Póntifex Benedíctus décimus quintus eam in Beatárum, Pius autem undécimus in Sanctárum númerum adscrípsit.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 31-40

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum vénerit Fílius hóminis in majestáte sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedébit super sedem majestátis suæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

De verbis Evang. Serm. 86, cap. 4, n. 4

Habes cui éroges. Da Christo : ipse te cónvenit ultro, ut recípias, et mirántem quia áliquid a te accépit. Nam illis ad déxteram pósitis ultro ipse dicet : Veníte, benedícti Patris mei. Quo? Veníte, percípite regnum, quod vobis parátum est ab orígine mundi. Pro qua re? Esurívi, et dedístis mihi manducáre ; sitívi, et dedístis mihi potum; nudus eram, et vestístis me ; hospes, et adduxístis ; æger et in cárcere, et visitástis. Et illi : Dómine, quando te vídimus? Quid est hoc? Cónvenit débitor et creditóres excúsant. Non vult eos fidélis débitor falli.

Scanné avec CamScanner

Recípere dubitátis? Accépi et ignorátis? Et respóndet quemádmodum accépit : Cum uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis.

℟. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus : considerávit sémitas domus suæ, * Et panem otiósa non comédit. ℣. Gustávit et vidit quia bona est negotiátio ejus : non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Non accépi per me : accépi per meos. Quod illis datum est, ad me pervénit : secúri estóte, non perdidístis. Minus idóneos attendebátis in terra : idóneum habétis in cælo. Ego, inquit, accépi : ego reddam. Terram accépi, cælum dabo; temporália accépi, ætérna restítuam ; panem accépi, vitam dabo. Immo étiam hoc dicámus : panem accépi, panem dabo ; potum accépi, potum dabo ; hospítium accépi, domum dabo ; æger visitátus sum, salútem dabo ; in cárcere visus sum, libertátem dabo. Panis quem dedístis paupéribus meis, consúmptus est : panis quem ego dabo, et réficit, et non déficit. Det ergo nobis panem. Panis ille qui de cælo descéndit. Cum panem dabit, seípsum dabit.

℟. Regnum mundi, et omnem ornátum sǽculi contémpsi, propter amórem Dómini mei Jesu Christi : * Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. Quem vidi. Glória Patri. Quem vidi.

Lectio ix de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

Capit. Is. 58, 7

Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam ; cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Hymnus

Fortem viríli péctore
Laudémus omnes féminam,
Quæ sanctitátis glória
Ubíque fulget ínclyta.

Hæc sancto amóre sáucia,
Dum mundi amórem nóxium
Horréscit, ad cæléstia
Iter perégit árduum.

Carnem domans jejúniis,
Dulcíque mentem pábulo
Oratiónis nútriens,
Cæli potítur gáudiis.

Rex Christe, virtus fórtium,
Qui magna solus éfficis,
Hujus precátu, quǽsumus,
Audi benígnus súpplices.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne sǽculum.
Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Oratio

Deus, caritátis auctor et prǽmium, qui novam in Ecclésia tua famíliam suscitásti, ejúsque matrem beátam Ludovícam esse voluísti : da, quǽsumus; ut, caritátis ópera exercéntes, promíssam in cælis mercédem ássequi mereámur. Per Dóminum.

Et fit Com. Feriæ.

AD TERTIAM

Capit. Is. 58, 7

Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam ; cum vidéris nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris.

Reliqua de Comm. non Virg.

IN II VESPERIS

Capit. et Hymnus, ut supra, ad Laudes 27

℣. Diffúsa est, ut supra.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit.

Et fit Com. Feriæ.

FESTA APRILIS

DIE 9 APRILIS

SANCTI HUGONIS

EP. ET CONF.

Simplex

Capit. Ecce sacérdos, et Hymnus de Comm.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum (T.P. allelúja). ℟. Stolam glóriæ índuit eum (T. P. allelúja).

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum (T. P. allelúja).

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Hugónis, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dñ.

In Nocturno

Bened. Ad societátem.

Lectio iii

Hugo, fílius Drogónis Burgúndiæ ducis, avo Pippino Crasso, natálium splendórem meritórum glória illustrávit. Ab Auflféde, religiósa et strénua matróna ejus ávia, ad nutriéndum suscéptus et pie educátus, vitam monásticam deínde suscépit. Ad Rothomagénsis vero metrópolis sedem evéctus, Ecclésiæ Parisiénsis et insuper Bajocénsis curam pastorálem gessit, suǽque liberalitátis memória in eárum Ecclesiárum tábulis consignáta est. Erga Fontanellénse monastérium, cui abbas prǽfuit, benéficum imprímis se prǽbuit ; deínde Gemmeticénse cœnóbium, præ cunctis abbátibus, prǽdiis auxit, ubi demum post exáctum in pontificátu Rothomagénsi septénnium, relíctis ínfulis officióque depósito, soli Deo vacans, ad piórum óperum mercédem evolávit in cælum, quinto Idus Aprílis, anno septingentésimo trigésimo. Ejus corpus in Ecclésia sanctæ Matris ac perpétuæ Vírginis Maríæ sepúltum est.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas (T. P. allelúja). ℟. Et osténdit illi regnum Dei (T. P. allelúja).

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus (T. P. allelúja).

Orat. Exáudi, ut supra.

Scanné avec CamScanner

DIE 18 APRILIS

BEATÆ MARIÆ AB INCARNATIONE

VIDUÆ

Duplex

Capit. Mulíerem fortem, et Hymnus de Comm.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Símile est regnum cælórum *hómini negotiatóri quæréntí bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Maríam ardénti honóris tui zelo et mirábili in advérsis fortitúdine roborásti : ejus intercessióne concéde ; ut advérsa ómnia fórtiter toleráre valeámus, et in sanctæ tuæ religiónis amóre persístere. Per.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

María ab Incarnatióne ortum hábuit Lutétiæ Parisiórum, nobílibus piísque paréntibus Nicoláo Avríllot, dómino de Champlátreux, ac María Luíllier, et in baptísmo Bárbaræ nomen accépit. Jam a téneris annis, in patérna domo haud dúbia futúræ sanctitátis specímina dedit. Póstea duodecénnis puélla in disciplínam trádita est matérteræ suæ, quæ in monastério régio Longi Campi prope Parísios religiónis vota emíserat, ibíque María, inconsúltis paréntibus, religiósum hábitum suscípere decrévit. Sed ubi primum agnóvit consílium illud matri suæ minus probári, a propósito suo statim recéssit, oblatísque núptiis acquiévit ; vérita scílicet ne patérno repúgnans império, divínæ resísteret voluntáti.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Petro Acárie nupta, décimo octávo ætátis anno, in matrimónio

ita se gessit, ut, teste sancto Francísco Salésio, ómnibus qui in sǽculo vivunt tamquam absolutíssimum christiánæ virtútis exémplum propóni possit. Etsi enim nihil magis optábat quam oratióni aliísque piis áctibus vacáre, ómnia tamen cónjugis matrísve múnia fidéliter adimplévit. Tunc autem potíssimum Maríæ virtus enítuit, cum inter civílis belli tumúltus viro primum éxsule, mox in cárcerem detrúso, ipsa domo ejécta, ómnibus bonis spoliáta remánsit. Ad eam quippe inópiam redácta est, ut vix intérdum habéret unde sibi liberísque panem émeret. Illud étiam misérrimum áccidit quod iter agens, cónjugis inviséndi consolandíque grátia, ex equo delápsa, femur sibi fregit. Attamen tota spe in Deum erécta ánimum non despóndit, et postquam conváluit, nulli pepércit labóri, donec liberórum securitáti consúluit, virúmque restítuit in libertátem. Rebus ita compósitis, totam se dedit divíno cúltui augéndo et propagándo; atque auctoritáte qua apud príncipes viros plúrimum valébat, effécit ut nova religiosárum institúta in Gállia stabiliréntur, imprímis ordo Carmelitárum excalceatárum. Quod ut assequerétur, postquam gravíssimos tum doctrína tum pietáte viros consuluísset, ex Hispánia accersívit áliquot sanctæ Terésiæ alúmnas, quæ germánam régulæ formam afférrent.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúja. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

PLURA, Deo favénte, hujus institúti cœnóbia brevi témporis spátio cóndita fuérunt, eidémque órdini tres ejus fíliæ nomen dedérunt. Viro autem vita functo, et ipsa in Ambianénse monastérium, ejus ópera fundátum, se recépit, ibíque Carmelitárum excalceatárum régulam proféssa est. Qua in occasióne

Scanné avec CamScanner

insígne præbuit humilitátis exémplum; nam etsi ómnium fácile parens erat ac magístra, id unum in votis hábuit, et repetítis précibus consecúta est, ut inter soróres ínfimum locum tenéret, húmili moniális, ut vocant, convérsæ título gaudens ac ministério. Tanta in ea fuit obediéntia, ut suæ fíliæ, quæ in eódem cœnóbio superiorísssæ múnere per áliquod tempus functa est, véluti céteræ moniáles demísse obtemperáret. Post triénnium, superiórum jussu evocáta Pontísaram, ad áliud ejúsdem institúti monastérium, ab ipsa páriter fundátum, cum ibi annum totum conversáta fuísset, diutúrno gravissimóque morbo patientíssime toleráto, sacraméntis Ecclésiæ muníta, inter sodálium preces et lácrimas ánimam Deo réddidit, die décima octáva Aprílis, anno Dómini millésimo sexcentésimo octávo décimo, ætátis suæ quinquagésimo tértio. Mórtuam Deus mirabílibus signis illustrávit; quibus rite probátis, a Pio Papa sexto inter Beátas annumeráta est, anno millésimo septingentésimo nonagésimo primo. Paucis post annis, cum in Gállia ómnia turbaréntur, beátæ mulíeris relíquiæ, ne sacrílegi hómines eas violárent, abscónditæ fuérunt. Postquam autem tepéscere cœpit impiórum furor, sacrum corpus solémni pompa Pontísaram relátum, in sacéllo moniálium Carmelitárum depósitum est, ubi nunc fidélium veneratióne cólitur.

℞. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur, allelúja. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Noct., Homilia in Evang. Símile est regnum cælórum, de Communi 1° loco.

Si hoc Festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

María ab Incarnatióne ortum hábuit Lutétiæ Parisiórum

nobílibus piísque paréntibus, Nicoláo Avríllot, dómino de Champlátreux, ac María Luíllier, et in baptísmo Bárbaræ nomen accépit. A téneris annis haud dúbia futúræ sanctitátis specímina dedit. In monastério Longi Campi prope Parísios educáta, ibi hábitum religiónis, inconsúltis paréntibus, suscípere decrévit, sed vérita ne patérno repúgnans império, divínæ resísteret voluntáti, oblátis núptiis acquiévit. Petro Acárie nupta, décimo octávo ætátis anno, ita se gessit in matrimónio, ut tamquam magnum virtútis exémplum propóni possit. Oratióni aliísque piis áctibus vacábat, idque effécit ut nova religiosárum institúta in Gállia stabiliréntur, imprímis Ordo Carmelitárum. Cónjuge defúncto et sex púeris educátis, ipsa in Ambianénse monastérium, ejus ópera cónditum, se recépit et régulam Carmelitárum proféssa est. Post triénnium, superiórum jussu, evocáta Pontísaram, gravíssimo morbo patiénter toleráto, ánimam Deo réddidit, die décima octáva aprílis, anno millésimo sexcentésimo octávo décimo, ætátis suæ quinquagésimo tértio. Mirabílibus signis illustráta, a Pio sexto inter Beátas annumeráta est. Corpus ejus solémni pompa Pontísaræ in sacéllo Carmelitárum depósitum fuit, ubi fidélium veneratióne adhuc cólitur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Maríam ardénti honóris tui zelo et mirábili in advérsis fortitúdine roborásti : ejus intercessióne concéde; ut advérsa ómnia fórtiter toleráre valeámus, et in sanctæ tuæ religiónis amóre persístere. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est, grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Maríam ardénti honóris tui zelo et mirábili in advérsis fortitúdine roborásti : ejus intercessióne concéde ; ut advérsa ómnia fórtiter toleráre valeámus, et in sanctæ tuæ religiónis amóre persístere. Per Dóminum.

DIE 22 APRILIS

INVENTIO CORPORUM Ss. DIONYSII, RUSTICI et ELEUTHERII

MARTYRUM

Duplex majus

Ant. 1 In bonis justórum * exsultábit cívitas, et benedictióne justórum exaltábitur, allelúja.

Psalmi de Dom., sed loco ultimi Ps. 116 Laudáte Dóminum.

2 Dedérunt se perículo * ut starent sancti, et glória magna glorificavérunt gentem, allelúja.

3 Fulgébunt * qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes, allelúja.

4 Sit memória illórum * in benedictióne, et ossa eórum púllulent de loco suo, allelúja.

5 Dóminus Deus * illuminábit illos, et regnábunt in sæcula sæculórum, allelúja.

Capit. 1 Thess. 4, 14

Si crédimus quod Jesus mórtuus est et resurréxit, ita et Deus eos qui dormiérunt per Jesum addúcet cum eo.

Hymnus

O invidénda Mártyrum,
O pœna felix ! córporis
Quæ dura solvens víncula
Mortem domas, vitam paris !

Post longa vitæ tædia,
Post ínclytæ decus necis,
Cæléstis ætérna Patris
Fratres quiéscunt in domo.

At ossa credúntur solo,
Piis rigáta flétibus,

Semen bonum, multam suo
Frugem datúra témpore.
Quam nempe vivi sánxerant
Fuso cruóre Mártyres,
Hanc membra luci réddita
Tuéntur et firmant fidem.
Quorum triúmphos dícimus
Tenére da fidem, Deus ;
Da, quam triumphándo duces
Signáre, nos viam sequi.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Qui præliántes róboras,
Palmísque donas Mártyres. Amen.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Vir pretiósi spíritus * Dionýsius in agóne novíssimo orábat, dicens : Nunc jam, Dómine, per corónam martýrii, cum frátribus meis servis tuis, súscipe me, allelúja.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui ad immortáles triúmphos Dionýsium, Rústicum et Eleuthérium, Mártyres tuos, extulísti : da córdibus nostris dignam pro eórum Inventióne lætítiam ; ut quorum córpora pio amóre ampléctimur, eórum précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Anselmi :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Ansélme, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Ansélmum minístrum tribuísti : præsta, quǽsumus ; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis.

Deinde Ss. Soteris et Caji Pp. et Mm. :

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Scanné avec CamScanner

Oratio

GREGEM tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátos Sotérem et Cajum Mártyres tuos atque Summos Pontífices, perpétua protectióne custódi ; quos totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastóres. Per Dñ.

Compl. de Feria.

AD MATUTINUM

Invit. Exsúltent in Dómino Sancti, * Allelúja.

Hymnus

AD SANCTOS cíneres cúrrite cívitas :
Sunt hæc plena Deo pígnora Mártyrum.
Hic cunæ fídei : fúneris in sinu
Vitam plénius háusimus.

Hic, dum justa parant prǽlia, príncipes
Flexis poplítibus præsídium petunt ;
Vestros ante pedes régia súpplices
Depónunt diadémata.

Quos sensére bonos rebus in árduis
Vivéntes, étiam post sua fúnera
Jungi Martýribus, dum véniat dies
Terris últimus, ámbiunt.

Hic quot prodígiis se Deus ásserit!
Hic surdi pátulis áuribus áudiunt :
Cæcis et sua lux rédditur, et suus
Contráctis vigor ártubus.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
Cui se, rite litans fúnere spléndido,
Triplex cónsecrat hóstia.
Amen.

In tribus Noct. Ant., Pss., et ℣. de Feria occurr. ut in Psalterio.

In I Noct. Lect. de Scriptura occurr.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

SANCTÓRUM Mártyrum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii ossa Católaci invénta ac tripartíto mausóleo cóndita fuísse a sǽculis antíquis tráditum est. Genésius présbyter, præeúnte sancta Genovéfa, atque univérsis cívibus opem feréntibus, basílicam in honórem Sancti Dionýsii et sociórum ejus excitávit. Horum præ céteris patrocínium rex Dagobértus ámbiens,

Scanné avec CamScanner

villas ac possessiónes multas basílicæ custódibus attríbuit. Beáto Elígio auctóre, mausoléum ad elegantiórem formam restitútum est, et super sanctórum mártyrum relíquias altáre marmóreum, auro gemmísque conconspícuum, eréctum est, eíque umbrácula mira arte laboráta impósita sunt. Hic Dagobértus cum uxóre Nantechílde post mortem deférri et sepelíri vóluit. Sæculo séptimo hujus loci custódes sancti Columbáni simul et Benedícti régulam proféssi sunt, iísque sanctus Landerícus epíscopus privilégium quasi exemptiónis concéssit.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, *Et ætérnitas témporum, allelúja, allelúja. ℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eórum : gáudium et exsultatiónem obtinébunt. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Hic ítaque juxta stratam viam, quæ ad Rhotómagum per Católacum ducébat, beáti Dionýsii et sociórum ejus ossa quievérunt, usque dum Pippíno regnánte, Fulrádus Abbas éadem in basílicam haud procul a mónachis cónditam, tránstulit. Sæculo tamen duodécimo Abbas Suger hanc basílicam ab imis restaurátam amplificávit ac magnificentíssime ornávit. Enimvéro sancti Dionýsii ædem ab inítio príncipes ac fidéles devóti et grati ánimi ergo spléndidis ditavére munéribus, in eáque póstea Gálliæ reges tumuláti sunt. Ibi quoque asservátum est vexíllum a Leóne tértio Pontífice Máximo Cárolo Magno tráditum, quod reges ad bellum itúri poplítibus flexis efférre solébant. At vero gállicæ perturbatiónis témpore, cum scelestíssimi hómines, thesáuris opibúsque Ecclésiæ expilátis, ómnia sacra violárent, beatórum mártyrum relíquiæ ipsórum nefáriis áusibus opportúne subréptæ sunt.

℟. In servis suis, allelúja, * Consolábitur Deus, allelúja. ℣. Judicábit Dóminus pópulum suum, et in servis suis. Consolábitur.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Postquam ímpiæ perduelliónis terror resédit, sacra pígnora sub majóre altári Ecclésiæ olim Carmelitárum, tunc autem parœciális, serváta sunt. At rex Ludovícus duodevigésimus, e longo revérsus exsílio, rerum potítus, non secus ac próavi erga sanctos mártyres pietáte afféctus, eórum exúvias, suis súmptibus in novis arcis servándas atque ad antíquum locum reportándas curávit. Omnibus ítaque peráctis, Alexánder Angélicus Cardinális de Talleyrand Perigord, archiepíscopus Parisiénsis eléctus, féria quarta infra octávam Ascensiónis, anno millésimo octingentésimo undevigésimo in sacram basílicam solémni pompa repósuit. Ibi hac die atque ínsuper ánnuo recurrénte festo mense octóbri eas fidéles venerántur. Sanctórum Mártyrum vero locum, ubi primum cónditæ fúerant, nunc íterum nova sancti Dionýsii in Strata, ad curam animárum, nostris ædificáta tempóribus, Ecclésia exórnat.

℟. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, allelúja. ℣. Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fílios tuos in te. In die. Glória Patri. In die.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi

In Matth. 34 n. 2

Viden quómodo illos ómnibus superióres reddat ? non curas modo, non maledícta, perícula, insídias, sed étiam mortem ómnium terribilíssimam

contémnere docens : neque simplicíter mortem, sed étiam violéntam. Neque dixit : Occidémini, sed cum magnificéntia totum declarávit, dicens : Nolíte timére ab iis qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere : sed pótius timéte eum qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam : in contrárium vertens sermónem, uti semper facit.

℟. Ego sum vitis vera, et vos pálmites : * Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúja, allelúja. ℣. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Qui manet in me.

Bened. Quorum festum.

Lectio viii

Quid enim sibi vult ? Timétis mortem, ideóque ad prædicándum segnióres estis? Sed hac de causa pótius prædicáte, quia mortem timétis. Illud enim vere vos a morte erípiet. Nam etiámsi vos interemptúri sunt, meliórem tamen partem non superábunt, etiámsi id totis víribus conéntur. Ideo non dixit : Animam autem non occídunt, sed : Non possunt occídere ; nam etiámsi velint, non superábunt. Itaque si supplícium times, illud longe grávius time.

℟. Cándidi facti sunt Nazaræi ejus, allelúja : splendórem Deo dedérunt, allelúja, * Et sicut lac coaguláti sunt, allelúja, allelúja. ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres. Et. Glória Patri. Et.

Pro Ss. Sotere et Cajo :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Soter, Fundis in Campánia natus, sancívit ne sacræ vírgines vasa sacra et pallas attíngerent, neve thuris ministério in ecclésia uteréntur. Idem státuit ut Christi corpus in Cœna Dómini sumerétur ab ómnibus, iis excéptis, qui propter grave peccátum id fácere prohiberéntur. Martýrio coronátus sub Marco Aurélio imperatóre, sepúltus est in cœmetério,

quod póstea Callísti dictum est. Cajus Dálmata, ex génere Diocletiáni imperatóris, constítuit, ut his órdinum et honórum grádibus in Ecclésia ad episcopátum ascenderétur, ostiárii nempe, lectóris, exorcístæ, acólythi, subdiáconi, diáconi, presbýteri. Hic Diocletiáni crudelitátem in Christiános fúgiens, aliquámdiu in spelúnca delítuit : verum, octo post annis, una cum Gabíno fratre martýrii corónam consecútus, in cœmetério Callísti páriter sepúltus est.

Te Deum laudámus.

Si hoc festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Sanctórum mártyrum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii ossa Católaci invénta ac tripartíto mausoléo cóndita fuísse a sǽculis antíquis tráditum est. His super, præeúnte sancta Genovéfa, basílica excitáta fuit, quæ a Strata appelláta fuit. Beátus Elígius mausoléum ad elegantiórem restítuit formam ; rex vero Dagobértus altáre exstrúxit atque auro gemmísque decorávit. Regnánte Pippíno, Fulrádus Abbas córpora sanctórum mártyrum in novam basílicam tránstulit, quam sǽculo duodécimo Abbas Suger ampliávit atque exornávit. Perturbatiónis gállicæ témpore, nefárii hómines eam ómnibus donis, quibus príncipes ac fidéles ditáverant, exspoliavérunt. Ludovíco duodevigésimo regnánte, relíquiæ ad prístinum locum relátæ sunt, ibíque nunc venerántur. In loco vero ubi primum cónditæ fúerant, nostris tempóribus Ecclésia parœciális, quæ a sancto Dionýsio a Strata dícitur, ædificáta est.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1 In bonis justórum * exsultábit cívitas, et benedictióne justórum exaltábitur, allelúja.

Pss. de Dom. 1o loco.

2 Dedérunt se perículo * ut starent sancti, et glória magna glorificavérunt gentem, allelúja.

3 Fulgébunt * qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes, allelúja.

4 Sit memória illórum* in benedictióne, et ossa eórum púllulent de loco suo, allelúja.

5 Dóminus Deus * illuminábit illos, et regnábunt in sǽcula sæculórum, allelúja.

Capit. 1 Thess. 4, 14

Si crédimus quod Jesus mórtuus est et resurréxit, ita et Deus eos qui dormiérunt per Jesum addúcet cum eo.

Hymnus

O invidénda Mártyrum,
O pœna felix! córporis
Quæ dura solvent víncula
Mortem domas, vitam paris!

Post longa vitæ tǽdia,
Post ínclytæ decus necis,
Cæléstis ætérna Patris
Fratres quiéscunt in domo.

At ossa credúntur solo,
Piis rigáta flétibus,
Semen bonum, multam suo
Frugem datúra témpore.

Quam nempe vivi sánxerant
Fuso cruóre Mártyres,
Hanc membra luci réddita
Tuéntur et firmant fidem.

Quorum triúmphos dícimus
Tenére da fidem, Deus;
Da, quam triumphándo duces
Signáre, nos viam sequi.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Qui præliántes róboras,
Palmísque donas Mártyres. Amen.

℣. Da nobis, Dómine, gáudium et lætítiam, allelúja. ℟. Et exsultábunt ossa humiliáta, allelúja.

Ad Bened. Ant. Córpora eórum * in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem, allelúja.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui ad immortáles triúmphos Dionýsium, Rústicum et Eleuthérium, Mártyres tuos, extulísti : da córdibus nostris dignam pro eórum Inventióne lætítiam; ut quorum córpora pio amóre ampléctimur, eórum précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Et fit Com. Ss. Soteris et Caji :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátos Sotérem et Cajum Mártyres tuos atque Summos Pontífices, perpétua protectióne custódi; quos totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastóres. Per Dóminum.

Ad Horas Antiphona et Psalmi de Feria occurrenti ut in Psalterio, cetera de Communi plurim. Mart. T. P.

IN II VESPERIS

Ant. 1 In bonis justórum * exsultábit cívitas, et benedictióne justórum exaltábitur, allelúja.

Pss. de Dom., sed loco ult. Ps. 115 Confísus sum, ut infra.

2 Dedérunt se períçulo * ut starent sancti, et glória magna glorificavérunt gentem, allelúja.

3 Fulgébunt * qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes, allelúja.

4 Sit memória illórum* in benedictióne, et ossa eórum púllulent de loco suo, allelúja.

5 Dóminus Deus * illuminábit illos, et regnábunt in sǽcula sæculórum, allelúja.

Psalmus 115

Confísus sum, étiam cum dixi : * « Ego afflíctus sum valde »;

Ego dixi in pavóre meo : * « Omnis homo fallax! »

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ tríbuit mihi?

Cálicem salútis accípiam, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam * coram omni pópulo ejus.

Pretiósa est in óculis Dómini * mors sanctórum ejus.

O Dómine, ego servus tuus sum, ego servus tuus, fílius ancíllæ tuæ : * solvísti víncula mea.

Scanné avec CamScanner

Tibi sacrificábo sacrifícium laudis, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam * coram omni pópulo ejus,

In átriis domus Dómini, * in médio tui, Jerúsalem.

Ant. Dóminus Deus illuminábit illos, et regnábunt in sǽcula sæculórum, allelúja.

Capit. 1 Thess. 4

Si crédimus quod Jesus mórtuus est et resurréxit, ita et Deus eos qui dormiérunt per Jesum addúcet cum eo.

Hymnus

O invidénda Mártyrum,
O pœna felix! córporis
Quæ dura solvens víncula
Mortem domas, vitam paris!

Post longa vitæ tǽdia,
Post ínclytæ decus necis,
Cæléstis ætérna Patris
Fratres quiéscunt in domo.

At ossa credúntur solo,
Piis rigáta flétibus,
Semen bonum, multam suo
Frugem datúra témpore.

Quam nempe vivi sánxerant
Fuso cruóre Mártyres,
Hanc membra luci réddita
Tuéntur et firmant fidem.

Quorum triúmphos dícimus
Tenére da fidem, Deus;
Da, quam triumphándo duces
Signáre, nos viam sequi.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Qui præliántes róboras,
Palmísque donas Mártyres. Amen.

℣. Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, allelúja. ℟. Annis quibus vídimus mala, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Cum Christus apparúerit, * vita vestra, tunc et vos aparébitis cum ipso in glória, allelúja.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui ad immortáles triúmphos Dionýsium, Rústicum et Eleuthérium, Mártyres tuos, extulísti: da córdibus nostris dignam pro eórum Inventióne lætítiam; ut quorum córpora pio amóre ampléctimur, eórum précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Et fit Com. S. Georgii Mart. :

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas : concéde propítius ; ut, qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur.

Deinde Ss. Soteris et Caji Mm. :

Ant. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja : vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátos Sotérem et Cajum Mártyres tuos atque Summos Pontífices, perpétua protectióne custódi ; quos totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastóres. Per Dóminum.

DIE 28 APRILIS

S. LUDOVICI MARIÆ GRIGNION DE MONTFORT

CONFESSORIS

Duplex

Capit. Beátus et Hymnus de Comm.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum Maríam, Confessórem tuum, Crucis mystérii et sanctíssimi Rosárii præcónem exímium effecísti, ac nova per eum família Ecclésiam fœcundásti : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut per unigéniti Fílii tui vitam, mortem, ac resurrectiónem, salútis ætérnæ præmia consequámur. Per Dóminum.

Et fit Com. præced. :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen,

Scanné avec CamScanner

beáte Petre, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum, virtúte et doctrína roborásti : concéde propítius; ut ejus exémplis et mónitis errántes ad salútem resipíscant, et fidéles in veritátis confessióne persevérent.

Deinde Com. S. Pauli a Cruce :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, allelúja. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum, sanctum Paulum singulári caritáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti : ipsíus nobis intercessióne concéde; ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cælis.

Postea Com. S. Vitalis :

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Vitális Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Ludovícus María Grignion, in Británniæ Minóris pago Montfort, a quo nomen sumpsit, anno millésimo sexcentésimo septuagésimo tértio, prídie Kaléndas Februárii,

ex nobílibus piísque paréntibus natus est. Duodécimum annum agens, in Rhedonénsi collégio Societátis Jesu collocátus, talem sese júgiter præbuit, ut non raro ab ipsis magístris in exémplum pietátis ac sedulitátis discípulis darétur. Eménso philosophíæ currículo, et in minóri sancti Sulpítii seminário Lutétiæ Parisiórum recéptus, ómnium virtútum magíster habéri cœpit. Sacerdótio initiátus, sacris expeditiónibus óperam dedit, et quam plúrima Nannétis, Parísiis ac Pictávii, caritátis et apostólici zeli monuménta édidit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inímicis, et a seductóribus tutávit illum, * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

GRAVIÓRUM labórum cúpidus, cum infidélibus pópulis Christum prædicáre constituísset, Romam ádiit, et Cleménti undécimo mentem suam apéruit. A quo tamen audívit se ad Gálliæ pótius quam ad barbarórum salútem curándam a Deo seléctum fuísse, ac potíssimum ut advérsus invalescéntes erróres dimicáret. Pontíficis verbis excitátus, et missionárii apostólici múnere auctus, revérsus est in Gálliam, ubi sacro huic ministério, quoad vixit, se plane devóvit. Hoc in vitæ génere non perículis aut persecutiónibus detérritus, aut labóribus fractus, pestem janseniánam strénue propulsávit. Erga Domínicæ Passiónis augústa mystéria promóvit pietátem, cultúmque Immaculátæ Vírginis Dei Matris, præsértim per Mariális Rosárii frugíferam consuetúdinem late propagávit. Hos apostólicos labóres Deus ita fœcundávit, ut peccatóres ad salútis trámitem, hæréticos ad Christi caulam, pios ad perfectiónis sémitam, cléricos ad sanctiórem disciplínam pene innúmeros perdúxerit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Ut vero labórum fructus, quos ubíque percéperat, júgiter permanérent, gémina instítuit sodalítia : unum Missionariórum, Societátis Maríæ nuncupátum, qui sacris missiónibus impénderent óperam ; álterum piárum vírginum, quibus a Divína Sapiéntia nomen índidit, voluítque ut quibúslibet páuperum necessitátibus opem ferrent. Demum, cum in vico sancti Lauréntii ad Séparam, olim Rupellénsis, nunc Lucionénsis diœcésis, apostólici ministérii munus impléret, quadragésimum quartum ætátis annum jam ingréssus, mortálem vitam sanctíssimo clausit óbitu, quarto Kaléndas Majas, anno millésimo septingéntesimo décimo sexto. Fama sanctitátis ejus, quæ, dum vitam ágeret, semper flóruit, post óbitum per univérsam Gálliam magis in dies effúsa est ; accedénte miraculórum glória, quibus divína omnipoténtia illíus sepúlcrum ad hæc usque témpora gloriósum réddidit. Quem proptérea Leo décimus tértius, Beatórum fastis adscrípsit et Pius duodécimus albo sanctórum accénsuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Noct., Homil. in Evang. Designávit Dóminus, ut in Communi Evang., cum ℟℟. de Comm. Conf. non Pont.

Pro S. Paulo a Cruce :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Paulus a Cruce, Uvádæ in Ligúria natus, a primo ratiónis usu, Jesu Christi crucifíxi amóre flagrávit.

Martýrii desidério incénsus, exercítui se adjúnxit qui Venétiis ad bellum Turcis inferéndum comparabátur. Cógnita vero Dei voluntáte, honestíssimis núptiis sibíque deláta pátrui hereditáte recusátis, rudi túnica a suo epíscopo indútus, nondum cléricus, Domínicum agrum divíni verbi prædicatióne excóluit. Romæ a summo Pontífice Benedícto décimo tértio ex obediéntia sacerdótio auctus, in solitúdinem recéssit Argentárii montis, quo eum beáta Virgo jamprídem invitáverat, veste illi simul osténsa atri colóris Passiónis Fílii sui insígnibus decoráta, ibíque fundaménta jecit novæ congregatiónis, cujus sodáles voto astringeréntur Domínicæ Passiónis memóriam promovéndi. Sacras vírgines quoque instítuit, quæ Dómini Passiónem sédulo meditaréntur. Prædicatióne, virtútibus, et divínis charismátibus clarus, Romæ obdormívit in Dómino, anno millésimo septingentésimo septuagésimo quinto. Eum Pius nonus Póntifex máximus in Beatórum, dein in Sanctórum númerum rétulit.

Te Deum laudámus.

Si hoc festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Ludovícus María Grignion in Británniæ Minóris pago Montfort natus est, anno millésimo sexcentésimo septuagésimo tértio ex nobílibus piísque paréntibus. In Rhedonénsi collégio Societátis Jesu et in seminário sancti Sulpítii, Lutétiæ Parisiórum, educátus et sacerdótio initiátus primum Nannétis, deínde Parísiis ac Pictávii, caritátis et apostólici zeli ópera édidit. Deínde Romam ádiit et Cleménti undécimo mentem suam apéruit, a quo audívit se ad Gálliam potiúsquam ad barbarórum salútem curándam, Deo aúspice seléctum fuísse. Tunc in pátria, quoad vixit, apostólici ministérii munus implévit. Erga Domínicæ Passiónis augústa mystéria promóvit pietátem;

cultúmque Immaculátæ Vírginis præsértim per Maríæ Rosárium propagávit. Ut vero labórum fructus permanérent instítuit gémina sodalítia, unum Missionariórum, Societátis Maríæ nuncupátum, álterum piárum vírginum quibus a divína Sapiéntia nomen índidit. Demum, in quadragésimum quartum ætátis suæ annum ingréssus, mortálem vitam sanctíssimo clausit óbitu. Fama sanctitátis ejus semper flóruit et accedénte miraculórum glória Leo décimus tértius eum Beatórum, Pius vero duodécimus Sanctórum fastis adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum Maríam, Confessórem tuum, Crucis mystérii et sanctíssimi Rosárii præcónem exímium effecísti, ac nova per eum família Ecclésiam fœcundásti : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut per unigéniti Fílii tui vitam, mortem, ac resurrectiónem, salútis ætérnæ prǽmia consequámur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Pauli a Cruce :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui, ad mystérium Crucis prædicándum, sanctum Paulum singulári caritáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti : ipsíus nobis intercessióne concéde ; ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cælis.

Deinde S. Vitalis :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus : ut, qui beáti Vitális Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Vesp. a Capit. de seq. S. Petro Mart., Com. præced. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum Maríam, Confessórem tuum, Crucis mystérii et sanctíssimi Rosárii præcónem exímium effecísti, ac nova per eum família Ecclésiam fœcundásti : ejus méritis et intercessióne concéde; ut per unigéniti Fílii tui vitam, mortem, ac resurrectiónem, salútis ætérnæ prǽmia consequámur.

Deinde S. Pauli a Cruce :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui, ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Paulum singulári caritáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti : ipsíus nobis intercessióne concéde ; ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cælis. Per eúmdem Dóminum.

FESTA MAJI

DIE 19 MAJI

In Festo S. Petri Cælestini

SANCTI YVONIS
CONFESSORIS
COMMEMORATIO

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

℣. Justum, ut supra 50

Oratio

Deus, qui beátum Yvónem Confessórem paupéribus patrem, víduis patrónum, pupíllis tutórem providísti : da nobis, per ejus intercessiónem, símili caritáte flagráre, et ita spérnere temporália quæ tránseunt, ut cónsequi mereámur ætérna. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Pudentianæ Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparavit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja.

℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Pudentiánæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Yvo, natióne Brito, in território Trecorénsi nobílibus paréntibus natus, Parísiis primum lítteras dídicit, mox Aureliáni juri óperam dedit. Ab archidiácono Rhedonénsi accítus est ut jus in foro ecclésiæ díceret. Inde ab epíscopo Trecorénsi cúriæ ecclesiásticæ judex est factus. Hic páuperum causas benígne suscipiébat ; litigántes ad concórdiam fléctere nitebátur. Hic pupillórum viduarúmque pater et advocátus méruit appellári. Munus póstea dimísit ut caritátis offíciis potíssimum vacáret, ad curam animárum transíret, et totum verbo Dei prædicándo se daret. Fuit miráculis clarus, prædictóque sui óbitus die,

anno millésimo trecentésimo tértio, quarto décimo Kaléndas Június, in Dómino obdormívit. Summus autem Póntifex Clemens sextus eum in sanctórum albo inscrípsit, quem parisiénses advocáti in suum patrónum elegérunt.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Yvónem Confessórem paupéribus patrem, víduis patrónum, pupíllis tutórem providísti : da nobis, per ejus intercessiónem, símili caritáte flagráre, et ita spérnere temporália quæ tránseunt, ut cónsequi mereámur ætérna. (Per Dóminum.)

Deinde Com. S. Pudentianæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster : ut, sicut de beátæ Pudentiánæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus ; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

DIE 25 MAJI

In Festo
S. Gregorii Papæ VII

Stæ MAGDALENÆ SOPHIÆ BARAT
VIRGINIS

COMMEMORATIO

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beátam Magdalénam Sophíam, ad exémplum Cordis tui,

humilitáte et caritáte mirabíliter decorásti, et novam vírginum famíliam per eam floréscere voluísti : fac nos sanctíssimo Cordi tuo júgiter adhærére ; et ejúsdem imitatióne, tui gaudére consórtio : (Qui vivis.)

Deinde Com. S. Urbani I Papæ et Mart. :

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja.
℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Urbánum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Pro S. Magdalena Sophia Barat :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Magdaléna Sophía Barat ortum hábuit Juviniáci in Burgúndia prídie idus decémbris anno millésimo septingentésimo septuagésimo nono. Sub fratris moderámine, qui præclarás dotes soróris suæ admirabátur, in bonis ártibus ac philosophía, rerúmque sacrárum stúdio necnon humilitátis, obediéntiæ, suíque abnegatiónis exercítio profécit. Parísiis ad puéllas educándas prima jecit illíus vírginum societátis fundaménta, quam deínde Ambiáni absólvit. In offício suprémæ moderatrícis mira præbuit prudéntiæ, sagacitátis, fortitúdinis ac benignitátis exémpla. Plúribus tentáta morbis, innúmeris vexáta ærúmnis ac moléstiis, ómnia semper forti ánimo pértulit. Ita factum est ut hæc felicíssima institútio longe latéque per totum fere orbem terrárum diffunderétur. Quamquam tot curis laboribúsque exércitam Magdaléna vitam diu prodúxit, úsquedum ætátis anno octogésimo quinto, repentíno corrépta morbo, in die Ascensiónis Dómini nostri, anno millésimo octingentésimo sexagésimo quinto ad divínum sponsum, quem única dilexérat,

e Parisiénsi domo avolávit. Post óbitum Deus ejus sanctitátem plúribus miráculis illustrávit. Pius décimus eam Beatórum cælitum albo adscrípsit ; Pius vero undécimus, novis fulgéntem signis, ad suprémos altárium honóres evéxit anno jubilǽi millésimo nongentésimo vigésimo quinto.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes fit Com. S. Magdalenæ Sophiæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui beátam Magdalénam Sophíam, ad exémplum Cordis tui humilitáte et caritáte mirabíliter decorásti, et novam vírginum famíliam per eam floréscere voluísti : fac nos sanctíssimo Cordi tuo júgiter adhærére et ejúsdem imitatióne, tui gaudére consórtio.

Deinde Com. S. Urbani :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Urbánum Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

DIE 28 MAJI

SANCTI GERMANI PARISIENSIS EP. ET CONF.

Duplex majus

Capit. Ecce sacérdos, et Hymnus de Comm.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone

in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

Oratio

Deus, sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti ; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Bedæ :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas : concéde propítius fámulis tuis ; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári.

Deinde Com. S. Augustini Ep. et Conf. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi, allelúja. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis, allelúja.

Oratio

Deus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Germánus, apud Æduos honéstis paréntibus natus, a beáto Scopilióne propínquo suo educátus est, cum quo ad matutínas preces ecclésiam, mille passus pene distántem, quacúmque äëris intempérie adíbat. Présbyter a sancto Agrippíno ordinátus, ex mónacho per Nectárium, Agrippíni successórem, factus est abbas monastérii sancti Symphoriáni Augustodunénsis. Eusébio Parisiórum epíscopo mórtuo

suffèctus, nihil remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Hora noctis tértia ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, céteris de clero per tres vigílias sibi vicíssim ad psalléndum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et cum iter ágeret, divínum offícium nudo cápite, étiam inter equitándum, persólveret. Clerum, pópulum et infántes ipsos, Fortunáto teste, divínas laudes psállere pie instítuit. Mira ejus in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos, beneficéntia fuit : quod ei Childebértum regem ita conciliávit, ut ex régio ærário ad pias largitiónes ingéntem ei pecúniam subministráret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Cum autem Childebértus in gravem morbum apud Cellas, in pago Melodunénsi, incidísset, réddita sibi a Germáno per impositiónem mánuum sanitáte, villam ipsam donávit matri ecclésiæ Parisiénsi, quæ jam tum in honórem sanctæ Maríæ dedicáta erat. Accersítus a Clotário, qui, quod eum contempsísset, a Deo percússus fúerat, illum, admótis vestiméntis suis sanávit. Caribértum, qui uxóris sorórem dúxerat, reprehéndit eíque sacris interdíxit. Sigebértum, implóráta étiam per lítteras Brunichíldis uxóris ópera, deterrére conátus est a cæde Chilperíci fratris, suísque mónitis reluctántem brevi moritúrum prædíxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Scanné avec CamScanner

Bened. Ignem.

Lectio vi

PROFÉCTUS ad sýnodum Bituricénsem, in qua Felix est ordinátus, Judǽum quemdam Christo lucrátus est, ejúsque cónjugem a dǽmone obséssam liberávit, quæ mox una cum multis áliis Judǽis christiánam fidem proféssa est. Augustodúni, in ordinatióne Syágrii, Florentíno qui póstea Matisconénsis epíscopus fuit, óculi usum restítuit. Parísiis cum ad basílicam sanctórum Gervásii et Protásii orándi causa accéderet, solo crúcis signo occlúsas fores apéruit. Sedit in concílio Parisiénsi tértio et quarto, et in Turonénsi secúndo. Aliquot ante tránsitum diébus, ad suum léctulum per notárium inscríbi vóluit hæc verba: Quinto Kaléndas Júnias. Qua die cum obiísset, tunc apértus est qui eátenus latúerat verbórum sensus. Corpus ejus sepúltum est Parísiis, ad sanctum Vincéntium, in oratório sancti Symphoriáni, et sub Pippíno in majórem hujus monastérii basílicam translátum.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10

IN ILLO témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 138

AUDÍVIMUS Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris offícium. In qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres. Et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum :

Ego sum, inquit, pastor bonus. Et unde sit pastor bonus consequénter osténdit : Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius autem, et qui non est pastor, videt lupum veniéntem, et fugit : quóniam non est ei cura de óvibus ; mercenárius est enim. Pastor ego bonus Christus. Quid Petrus ? Nonne bonus pastor ? Nonne et ipse ánimam pro óvibus pósuit ? Quid Paulus? Quid céteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi mártyres ? Nonne omnes pastóres boni ; non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam ?

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. Et.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Dóminus unitátem commendans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli céteri, et posterióres sancti epíscopi. Omnes hi pastóres boni ; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus. Quid dicis, Dómine, bone pastor ? Audiámus, et ádjuva ut intelligámus. Ego sum, inquit, pastor bonus. Quid est ergo quod pastóribus bonis comméndas unum pastórem, nisi quia in uno pastóre doces unitátem ? Et expónit apértius ipse Dóminus per ministérium nostrum, ex ipso Evangélio comméinorans caritátem vestram, et dicens : Audíte quid commendávi. Ego sum pastor bonus, dixi : quia omnes céteri, omnes pastóres boni, membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Quid sunt hæc, nisi quod dicit Apóstolus : Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, ómnia autem membra córporis cum sint multa, unum est corpus, sic et Christus.

Scanné avec CamScanner

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Pro S. Augustino Ep. et Conf. :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Augustínus, Romæ in Lateranénsi cœnóbio mónachus, a Gregório Magno cum sóciis mónachis fere quadragínta in Angliam missus est, anno quingentésimo nonagésimo séptimo. A rege Ethelbérto Cantuáriam, ejus regni metrópolim, invitátus cum sóciis, prope eam oratórium exstrúxit. Cæléstis doctrínæ prædicatióne plerósque insulános ac regem ipsum ad christiánam fidem perdúxit, summa cum lætítia Berthæ, regis uxóris, quæ christiána erat. Jussu Gregórii ordinátus epíscopus, sedem Cantuariénsem instítuit, et ab eódem Pontífice usum pálli cum facultáte hierarchíæ in Anglia instituéndæ obtínuit. Máximis demum pro Christo exantlátis labóribus, cum Mellítum Londinénsi Ecclésiæ præfecísset, Justum Roffénsi, suæ Lauréntium, in cælum migrávit séptimo Kaléndas Június, et sepúltus est in monastério sancti Petri, quod exínde Cantuariénsium antístitum et áliquot regum conditórium fuit.

Te Deum laudámus.

Si hoc festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Germánus apud Æduos honéstis paréntibus natus, présbyter a sancto Agrippíno ordinátus, factus est Abbas monastérii sancti Symphoriáni Augustodunénsis. Eusébio Parisiórum epíscopo mórtuo suffféctus,

nihil remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Nihil suávius ipsi fuit quam in Ecclésia rebus divínis interésse et psállere horas noctúrnas. Ita Deo erat inténtus ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis. Iter agens, divínum offícium nudo cápite persolvébat. Cum autem rex Childebértus in gravem morbum apud Cellas in pago Melodunonénsi incidísset, Germánus per impositiónem mánuum ei sanitátem restítuit. Clotárium, a Deo percússum, admótis vestiméntis suis sanávit. Caribértum, qui uxóris sorórem dúxerat, reprehéndit eíque sacris interdíxit. Bituricénsem Judǽum quemdam Christo lucrátus est, ejúsque cónjugem a dǽmone obséssam liberávit. Augustodúni Florentíno qui póstea fuit epíscopus Matisconénsis óculi usum restítuit. Sedit in Concílio Parisiénsi tértio et quarto, ac in Turonénsi secúndo. Die ab eo prænuntiáto óbiit. Corpus ejus sepúltum est Parísiis ad sanctum Vincéntium in oratório sancti Symphoriáni, et sub Pippíno in majórem hujus monastérii basílicam translátum.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúa.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

Oratio

Deus, sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

Deinde Com. S. Augustini :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde ; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

Vesp. de sequenti, Commemoratio præcedentis, S. Augustini et S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, ut infra.

DIE 29 MAJI

B. MARIÆ VIRGINIS OMNIUM GRATIARUM MEDIATRICIS

Duplex majus

Omnia de Communi Festorum B. Mariæ Virg. præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Benedictiónem * ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus, allelúja.

2 In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem, allelúja.

3 Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

4 Non pepercísti * ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, allelúja.

5 Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

Capit. Is. 55, 1

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Hymnus Ave, maris stella.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Ecce Dóminus meus * ómnia mihi trádidit, nec quidquam est, quod non in mea sit potestáte, vel non tradiderit mihi, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

Et fit Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Deus, sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis.

Deinde Com. S. Augustini :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes.

Postea Com. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. :

Ant. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Scanné avec CamScanner

Oratio

Deus, virginátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da, ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Redemptórem, qui bona ómnia nos habére vóluit per Maríam, * Veníte, adorémus, allelúja.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Christus, humáni géneris misértus,
Morte nos ictos mérita, supérnam
Rursus ad vitam génuit, suóque
Sánguine tersit.

O pium flumen, scelus omne purgans !
O inexháustum pélagus bonórum,
Unde septéno fluit usque fonte,
Vita salúsque !

Hos tamen sacros látices redémptis
Quis ministrábit? Datur hoc Maríæ
Munus, ut divæ moderétur undæ,
Arbitra, cursum.

Cuncta, quæ nobis méruit Redémptor,
Dona partítur génitrix María,
Cujus ad votum sua fundit ultro
Múnera Natus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu :
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine laudent.
Amen.

In I Nocturno

Ant. Fons hortórum, * púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano, allelúja.

℣. Sub tuum præsídium omnes confúgimus, allelúja. ℟. Sancta Dei Génitrix, allelúja.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 24, 5-11

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci

in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola, et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi et in omni terra steti : et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui : et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. In Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea : * Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei herédi-tas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea, allelúja. ℣. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Et.

Bened. Unigénitus.

Lectio ii Ibid., 22-31

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me adhuc esúrient : et qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me non confundétur : et qui operántur in me non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et justítia : * Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto, allelúja. ℣. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. Mélior est enim.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii Ibid. 41-46

Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquædúctus exívi de paradíso. Dixi : Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare : quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnis inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis : * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléminі, allelúja, allelúja. ℣. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Tránsite. Glória Patri. Tránsite.

In II Nocturno

Ant. Hábuit grátiam * et misericórdiam coram Rege super omnes mulíeres, allelúja.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias, allelúja. ℟. In necessitátibus nostris, allelúja.

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Oratio sancti Ephræm Syri Diáconi ad Deíparam

Lectio iv

Dómina mea, sanctíssima Dei Génitrix et grátia plena, pélagus inexháustum divinárum secretarúmque largitiónum ac múnerum, bonórum ómnium erogátio, ómnium post Trinitátem Dómina, post Paráclitum álius consolátor, et post Mediatórem Mediátrix totíus mundi, vide meam fidem meúmque desidérium divínitus datum. Ne despícias indígnum, neque meárum actiónum fœditátes tuam imménsam misericórdiam interrúmpant,

Dei Génitrix, meum desiderabilíssimum nomen; nihil enim est fírmius trophǽum quam tuum auxílium. Tu enim abstulísti omnes lácrimas a fácie terræ; tu creatúram replésti omni génere benefícii, cæléstibus lætítiam attulísti, terréstria salvásti. Per te resurrectiónis nostræ tésseram certíssimam tenémus; per te cæléste regnum nos consecutúros esse sperámus; per te omnis glória honor et sánctitas ab ipso primo Adam et usque ad consecutúros esse sperámus; per te omnis glória, honor et sánctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummatiónem sǽculi Apóstolis, Prophétis, justis et humílibus corde, sola immaculáta, deriváta est, derivátur et derivábitur; atque in te gaudet, grátia plena, omnis creatúra.

℟. Ecce Dóminus meus ómnia mihi trádidit, * Nec quidquam est quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi, allelúja. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. Nec.

Bened. Christus perpétuæ.

Sermo sancti Germáni Epíscopi Constantinopolitáni

Oratio 9 post medium

Lectio v

Nos qui divinórum óperum morúmque páuperes sumus, dum per te, o María, nobis exhíbitas benignitátis divítias cérnimus, propénse dicámus: Misericórdia Dómini plena est terra. Nos in multitúdine peccatórum a Deo extórres, per te Deum quæsívimus et invénimus, inventóque salvi facti sumus. Igitur potens ad salútem præstándam auxílium tuum, o Dei Génitrix, ac ejúsmodi, ut nullum álium mediatórem necessárium hábeat ad Deum. Plane enim nullus tuæ magnificéntiæ finis; insatiábilis opitulátio tua. Nullus múnerum tuórum númerus est. Nullus enim, nisi per te, o sanctíssima, salútem cónsequitur. Nullus, nisi per te, o immaculatíssima, qui a malis liberétur. Nullus, nisi per te, o castíssima, cui donum indulgeátur.

Nullus, nisi per te, o honoratíssima cui grátiæ munus misericórdia præstétur. Quam ob rem, quis te beátam non prædicábit? Te, inquam, gloriósam, te beatificándam, te, quæ ab ipso Fílio tuo ac Deo magnália nacta sis, uti magna et admiránda : quam ob rem te laudant omnes generatiónes.

℟. Præpósita ómnibus, gubérna créditam sibi domum et univérsa, quæ ei sunt trádita : * Absque ejus império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra, allelúja. ℣. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Absque ejus império.

Bened. Ignem.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

In Nativ. B. M. V., n. 6

Lectio vi

Intuére, o homo, consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cælésti rore áream rigatúrus, totum vellus, prius infúdit : redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Ut quid hoc? Forte ut excusarétur Heva per fíliam, et queréla viri advérsus féminam deínceps sopirétur. Ne díxeris ultra, o Adam: Múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vétito : dic pótius : Múlier quam dedísti mihi, me cibávit fructu benedícto. Piíssimum sane consílium ; sed latet fórsitan áliud, nec totum hoc est. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María, ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus et votis ómnibus Maríam hanc venerémur: quia sic est volúntas ejus qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se : * Et in me, ancílla sua, adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël, allelúja, allelúja. ℣. Deus exaltávit me,

ut salvos fáceret multos pópulos. * Et in me, ancílla sua, adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël, allelúja, allelúja. Glória Patri. Et.

In III Nocturno

Ant. Si invéni grátiam * in óculis tuis, o Rex, dona mihi pópulum meum pro quo óbsecro, allelúja.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper, allelúja. ℟. Virgo gloriósa et benedícta, allelúja.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 25-27

In illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Bernardíni Senénsis

Quadrag. de christiana Religione, Sermo 51 de Pass. Dom., part. 2, art. 1, cap. 3

Pulsántur admiratióne ómnium legéntium sive audiéntium mentes, scílicet quo motu, quo sensu, qua possibilitáte, qua vera auctoritáte, ista dicúntur, quod discípulus tránseat in fílium Vírginis, et Virgo hábeat purum hóminem fílium, quem non génuit : sic nec quod sit fílius ex Vírgine, qui de corrúptis paréntibus natus erat ex sémine. Impossibília quidem vidéntur hæc, sed nihil impossíbile apud Deum. Pietáte quidem et oratióne opus est ad ingrediéndum tale mystérium. Múlier enim beáta Virgo vocátur a Christo quam numquam appellávit ex vócibus matrem. Múlier, et non múlier : sed super ángelos et hómines, et mulíeres superexcédens múlier. Accépit a Fílio, quem cum ætérno Patre únicum possidébat, fílium præter ventrem, quem ante in carne habébat ipsa nepótem.

℟. Facta est María refúgium páuperi, * Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne, allelúja. ℣. Virgo potens sicut turris David : mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Adjútrix.

Scanné avec CamScanner

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio viii

SED in quo filiatiónis génere Joánnes Vírginis factus est fílius, aut ejus mater facta est Virgo? Non hoc natúra favet, non concéptus, non partus exséquitur, non ingréssus in úterum, ut dénuo nascerétur, non adóptio pro hereditáte in temporálibus consequénda nec ex imitatióne, aut ex proláta doctrína. Nec ista disserénda erant verbo Christi : nec facta est locútio ut sit quasi, sed sic a Christo légimus dictum : Múlier, ecce fílius tuus; ut, exclúsa omni superfluitáte verbórum, secrétum mystérii penetrémus. Mýstice ígitur intellígimus in Joánne omnes ánimas electórum, quorum per dilectiónem beáta Virgo facta est mater ; fílius enim in græco nomen amóris est. Omnis enim Christi amor in amórem Vírginis transit, ut mérito fílius, id est, amor Vírginis nuncupétur, magísque Vírginem hábeat matrem, quam illam, quæ illum ex peccáto damnátum mundo, suscépto sémine generávit.

℟. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno, allelúja. ℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Ut. Glória Patri. Ut.

Pro S. Maria Magdalena de Pazzis Virgine :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

MARÍA Magdaléna, Floréntiæ illústri Pazziórum génere nata, fere ab incunábulis iter perfectiónis arrípuit. Decénnis perpétuam virginitátem vovit, susceptóque hábitu in monastério sorórum Carmelitárum, se ómnium virtútum exémplar præbuit. Adeo casta fuit, ut, quidquid puritátem lædere posset, pénitus ignoráverit. Tanto igne divíni amóris æstuábat, ut, ei feréndo impar, ingésta aqua pectus refrigeráre cogerétur. Caritáte erga próximum excélluit ; nam sæpe noctes ducébat insómnes,

vel obeúndis sorórum ministériis, vel inserviéndo infírmis occupáta, quarum aliquándo úlcera lambens sanávit. Illud frequénter in ore habébat: Pati, non mori. Tandem, diútino et gravi morbo exhaústa, transívit ad Sponsum, anno millésimo sexcentésimo séptimo, expléto ætátis suæ anno quadragésimo primo. Eam Clemens nonus sanctárum Vírginum número adscrípsit.

Te Deum laudámus.

Sicubi autem ix Lectio alicujus Officii commemorati non fuerit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Mutátur hæc matérnitas et filiátio ex auctoritáte verbórum Christi in cruce pendéntis. Proptérea natúra transit in grátiam, et grátia nobílitat profécto natúram; non quod una in álteram commutétur, sed quia natúra ex grátia perfícitur. Mala múlier Heva corruptióne natúræ; bona múlier María, mater grátiæ, mater misericórdiæ. Datur mater grátiæ pro matre natúræ; manet tamen mater natúra, manet étiam mater ex grátia. Erat enim Joánni mater María Salóme in órdine succedéntis natúræ; est étiam sibi mater beáta Virgo in órdine grátiæ. Est mater Heva cunctórum per tráducem natúræ; est et Virgo María mater ómnium amántium Christum per infusiónem invisíbilis grátiæ.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. 1 Benedictiónem* ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus, allelúja.

Pss. de Dominica 1º loco.

2 In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem, allelúja.

3 Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

4 Non pepercísti * ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, allelúja.

Scanné avec CamScanner

5 Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

Capit. Is. 55, 1

OMNES sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Hymnus

MARÍA, quæ mortálium
Preces amánter éxcipis,
Rogámus ecce súpplices,
Nobis adésto pérpetim.

Adésto, si nos críminum
Caténa stringit hórrida ;
Cito resólve cómpedes,
Quæ corda culpis ílligant.

Succúrre, si nos sæculi
Fallax imágo péllicit,
Ne mens salútis trámitem,
Oblíta cæli, déserat.

Succúrre, si vel córpori
Advérsa sors impéndeat ;
Fac sint quiéta témpora,
Ætérnitas dum lúceat.

Tuis et esto fíliis
Tutéla mortis témpore,
Ut, te juvánte, cónsequi
Perénne detur præmium.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Bened. Ant. Absque tuo império * non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra, allelúja.

Oratio

DÓMINE Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

Et fit Com. S. Mariæ Magdalenæ Virg. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua et comparávit eam, allelúja.

Scanné avec CamScanner

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

Deus, virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Benedictiónem * omnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus, allelúja.

In ℟. brevi ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevis Ecce gentem, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem, allelúja.

Capit. Is. 55, 1

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

℟. br. Sub tuum præsídium omnes confúgimus, * Allelúja, allelúja. Sub tuum præsídium. ℣. Sancta Dei Génitrix. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Sub tuum præsídium.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias, allelúja. ℟. In necessitátibus nostris, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem Mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

AD SEXTAM

Ant. Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

Capit. Is. 55, 2-3

Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra.

℟. br. Nostras deprecatiónes ne despícias, * Allelúja, allelúja. Nostras deprecatiónes. ℣. In necessitátibus nostris. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Nostras deprecatiónes.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper, allelúja. ℟. Virgo gloriósa et benedícta, allelúja.

AD NONAM

Ant. Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

Capit. Is. 55, 5

Ecce gentem, quam nesciébas, vocábis : et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israël, quia glorificávit te.

℟. br. A perículis cunctis líbera nos semper, * Allelúja, allelúja. A perículis cunctis. ℣. Virgo gloriósa et benedícta. Allelúja, allelúja. Glória Patri. A perículis cunctis.

℣. Eja ergo, Advocáta nostra, allelúja. ℟. Misericórdes óculos tuos ad nos convérte, allelúja.

Vesperæ de sequenti, Com. præcedentis.

Sicubi II Vesperæ B. M. V. Mediatricis integræ dicendæ sint, Ant., Pss., Capit., Hymnus et ℣. Ora pro nobis, ut in I Vesperis 61

Ant. ad Magnif. Salus nostra * in manu tua est ; réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino, allelúja.

DIE 30 MAJI

SANCTÆ JOANNÆ DE ARC

VIRGINIS

PATRONÆ MINUS PRINCIPALIS GALLIÆ

Duplex II classis

Omnia de Comm. Virg., præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat, qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja.

Psalmi ut in Comm. Festorum B. M. V.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúja.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capitulum
Sap. 8, 9-10

Propósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens, quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

Stat cultrix vígilans páuperis hórtuli,
Annórum trédecim párvula, nil sciens,
Primas docta preces, præ sóciis pia,
Simplex, mitis et ínnocens.

Orántem Míchaël Angelus édocet,
Quam claræ párili lúmine vírgines,
Virtútum méritis conspícuæ simul,
Crebris allóquiis fovent.

Dum voces súperas éxcipit, éxpavet ;

Sed, fidens Dómino, fórtior in dies,
Parens impériis, pro pátria libens
Castam se vovet hóstiam.

Mox dulces sócias et pátriam domum,
Et cum matre patrem jussa relínquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trépidans eques.

Qui terras státuit, glória sit Patri:
Qui gentes rédimit, glória Fílio:
Sancto Spirítui glória, qui pias
Et fortes ánimas facit.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Hæc est Joánna, * virgo Aurelianénsis : hæc est, quæ multum orat pro pópulo et pro univérsa Gallórum gente, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Com. præcedentis :

Ant. Salus nostra in manu tua est ; réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino, allelúja.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Oratio

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem Matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius ; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur. Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre in unitáte.

Complet. de Dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus, allelúja.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

Aureliáni túrribus
Frustra premúntur hóstium :
Intrat Joánna, mílites
Hymnos precésque cóncinunt.

Quam vellet hosti párcere!
Hunc voce amíca præmonet,
Sponte ut recédens, líberum
Regnum relínquat Gálliæ.

Negat, sed agmen Gállicum
Ruit : Joánna sánguinem
Profúndit, icta vúlnere,
Deúsque dat victóriam.

Urbes et agros óccupat;
Rursus nitéscunt Lília ;
Turmæ fugántur hóstium,
Rhemos patéscit sémita.

O sancta et una Trínitas,
Firmans movénsque péctora,
Contra malum certántibus
Dona vigórem et prǽmium. Amen.

In I Nocturno

Ant. Eleváta est magnificéntia Joánnæ super cælos, (allelúja.)

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja.
℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Pater. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-17

Confitébor tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei :

* Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ, (allelúja, allelúja.) ℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adjutórium vobis. Et unxit me.

Bened. Unigénitus Dei Fílius.

Lectio ii

LAUDÁBIT usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, allelúja, allelúja. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra. Fuíque tecum.

Bened. Spíritus Sancti.

Lectio iii

EXALTÁSTI super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum, allelúja, allelúja. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. Propter veritátem, * et mansuetúdinem, et justítiam, dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja.

Scanné avec CamScanner

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus, allelúja. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúja.

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

JOÁNNA de Arc, in óppido Domreménsi, olim diœcésis Tullensis, nunc Sancti Deódati, conspícuis fide et morum integritáte paréntibus orta est, anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmodo doméstica negótia, opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo eléctam esse admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum restituéndum. Postquam per quínque annos Michaël Archángelus, atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt quómodo rem jussam perágeret, Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum, allelúja, allelúja. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. Ut non defíciat.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

SUPÉRNIS mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad Castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide se a Deo missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis diébus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, post ália béllica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia consecratióne inungerétur. Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis

accepísset se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo, quæ fíeri necésse esset, suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex. * Et facta est lætítia magna in pópulo, allelúja, allelúja. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, qui per manum féminæ fecit victóriam. Et.

Bened. Ignem sui amóris.

Lectio vi

Capta Joánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita, Rotómagum mox ducta, cum ibi in jus rapta esset quamplúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia; sed ómnia pro Jesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos júdices causa, ínnocens et mitis virgo damnáta est pœna combustiónis. Igítur sacra Eucharístia, quam támdiu desideráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Jesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit die trigésima Maji, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Romána Ecclésia, quam semper diléxerat, et ad quam sæpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Callísto tértio summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sæculo undevicésimo, Leo décimus tértius Aurelianénsis Puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Joánnam de Arc, summus Póntifex Pius décimus in Beatárum, Benedíctus vero décimus quintus in Sanctárum númerum rétulit. Pius tandem undécimus, Francórum votis præsulum ánnuens, post beátam Maríam in cælos assúmptam Gálliæ patrónam illam secúndam declarávit et constítuit.

℟. Puélla mea, noli timére, quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam, allelúja, allelúja. ℣. Mittam tibi Angelum meum, et in médio flammæ laudábis nomen meum. Si transíeris. Glória Patri. Si transíeris.

Scanné avec CamScanner

In III Nocturno

Ant. Conféssio et pulchritúdo * in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus, allelúja.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus, allelúja. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúja.

Pater. Absol. A vínculis. Bened. Evangélica léctio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Cap. 16, 17

O beátum damnum et jactúra felix ! ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ si non sorte, áttamen voluntáte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis dominátu ópibus sǽculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est ?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus : * Fac, Dómine, ut máneat nomen sanctum tuum in terra nostra, allelúja, allelúja. ℣. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo hóstia et sacrifícium. Fac, Dómine.

Bened. Cujus festum.

Lectio viii

Quæ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur? Cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis, ut merebúntur. Quid afferémus ad vitam ? Præparátos credo terrenárum opum futúris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitátum famǽque títulos, aut véteres delicátæ nobilitátis imágines ? Negánda sunt hæc ómnia,

ut melióribus abundémus: et contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium, terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis: * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso, allelúja, allelúja. ℣. Quia minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Pro S. Felice I Papa et Mart.:

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Felix Románus, patre Constántio, Aureliáno imperatóre præfuit Ecclésiæ. Constítuit ut Missa supra memórias et sepúlcra Mártyrum celebrarétur. Qui, cum mense Decémbri habuísset ordinatiónes duas, et creásset presbýteros novem, diáconos quinque, epíscopos per divérsa loca quinque, martýrio coronátus, via Aurélia sepelítur in basílica quam a se ædificátam dedicárat. Vixit in pontificátu annos duos, menses quátuor, dies vigínti novem.

Si autem Festum transferatur nec adsit ix Lectio alicujus Officii commemorati, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Grave onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut, cum sensum vitæ hómines ex vivéndi affectu habére cœpíssent, fructum ejus qui præsens corpóribus blandiebátur, amítterent; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent; cum sensus hujus exórdium ex affectu voluntátis habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut contra vim sensúmque judícii, optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igitur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ æternitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent,

donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat, qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja.

Psalmi de Dominica 1º loco.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta loricam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúja.

5 Custodívit * eam Angelus, et hic eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens, quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tǽdii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

HÓSTIUM victrix, properánte cursu,
Cárolum ad sanctam comitáris ædem,
Ut triumphántem sacra rite signet
Unctio regem.

Gáudio fundens lácrimas, Joánna,
Príncipi plaudis : Dómino repéndis
Débitas grates, retinésque dextra
Nóbile signum.

Erigens longa pópulum ruína,
Mira fecísti, generósa virgo :
Jure te nostræ pátriæ paréntem
Sæcla vocábunt !

Sed manet major meliórque merces :
Te novus poscit labor et triúmphus :

Te Deus mittens, dábit ipse vires,
Atque corónam.
Qui dedit presso pópulo salútem,
Laude ter sanctum Dóminum colámus,
Semper ut tantæ méritis patrónæ
Gállia vivat. Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúja. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúja.

Ad Bened. Ant. Stans beáta Joánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat dicens : Dómine Jesu, áccipe spíritum meum : ne státuas illis hoc peccátum, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quǽsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Felicis I Papæ et Mart. :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi ; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad Horas Pss. de Dom., ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja,

Ad absolutionem Capituli, Lectio brevis Habébo, ut infra ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

Scanné avec CamScanner

Capit. Sap. 8, 9-10

PROPÓSUI sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens, quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

℟. br. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, * Allelúja, allelúja. Méritis. ℣. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Méritis.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus, allelúja. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúja.

AD SEXTAM

Ant. Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

Capit. Sap. 8, 12

TACÉNTEM me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus suscéptor meus, * Allelúja, allelúja. Factus est. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Factus est.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus, allelúja. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúja.

AD NONAM

Ant. Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capit. Sap. 8, 13

HABÉBO, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, super caput ejus, * Allelúja, allelúja. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúja. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúja.

Scanné avec CamScanner

IN II VESPERIS

Vesp. de seq., Com. præced. :

Ant. Joánna, sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis, allelúja.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja.
℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, ejus intercessióne ; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Si II Vesp. de S. Joanna de Arc hodie integræ dicendæ sint, vel si idem Festum transferatur, pro II Vesp. sumuntur Ant., Pss. et Capit. e I Vesp. 74 ; Hymnus Salve, ut infra ; ℣. Méritis et Ant. ad Magnif. Joánna, sponsa Christi, ut supra.

Hymnus

Salve, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ !
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.

Voces supérnas áudiens
Jesu repléta lúmine,
Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque júdices.

Oppréssa flammis, clámitas
Jesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad Ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.

Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádjuva :
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.

Sit laus Patri, sit Fílio :
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

Completorium de Dominica.

Scanné avec CamScanner

DIE 31 MAJI

DEDICATIO BASILICÆ METROPOLITANÆ

Duplex I classis cum Octava

Omnia ut in Communi Dedicationis Ecclesiæ, præter ea quæ sunt propria.

In I Vesp. Com. præced., ut supra, tantum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

INTER ecclésias quas antíquitus plebis píetas et regum devótio Parísiis ædificávit, memorátur basílica sancti Petri sive sanctórum Apostolórum quam Clodovéus rex et Clotíldis regína construxérunt, in qua ambo depósiti sunt et ipsa beáta Genovéfa est sepúlta. Memorátur étiam sancti Vincéntii basílica, cujus ædificatiónem Childebértus rex suscéperat et perfécit et in qua sepúlcrum habebátur beáti Germáni epíscopi : item ecclésia sancti Juliáni, ecclésia sanctórum Gervásii et Protásii, ecclésia sancti Lauréntii, quas sæculo sexto Gregórius Turonénsis exstitísse testátur. Ab eódem memorátur basílica sancti Dionýsii, vidélicet ad corpus Protomártyris Parisiénsis, a Dagobérto rege póstea instauráta. Gregórius méminit et ecclésiæ cujúsdam in vico Parisiórum sitæ qui decúrsu témporum sancti Marcélli epíscopi nomen accépit, ubi sénior, inquit, ecclésia nuncupátur. In hac senióre ecclésia fuísse prímitus collocátam cáthedram episcopórum nostrórum, non imprúdens est senténtia, et in vico sancti Marcélli, ubi plura antiquitátis christiánæ vestígia invénta sunt, incunábula sua fidem nostram habuísse.

℟. Orántibus in loco isto, * Dimítte peccáta pópuli tui Deus, et osténde eis viam bonam per quam ámbulant, et da glóriam in loco isto,

allelúja. ℣. Qui regis Israël inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph, qui sedes super Chérubim. Dimítte.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

Tempóribus vero sanctæ Genovéfæ, quinto vidélicet sæculo, in ínsula ipsíus Civitátis baptistérium éxstitit, ubi tóties, suadénte Genovéfa, cives Parisiórum vigílias exercéntes, jejúniis et oratiónibus Deo vacavére. Et erat baptistérium hoc junctum ecclésiæ quam præfátus Gregórius Turonénsis ecclésiam sanctam núncupat : ibi sedísse epíscopos Parisiórum non est quod dubitémus. Jam a sæculo saltem séptimo, compértum est hanc ecclésiam episcopálem nómine beátæ Maríæ Dei Genitrícis fuísse insignítam, et álteram habuísse sibi vicínam, a parte scílicet orientáli, sancto Stéphano Protomártyri dicátam. Ambæ várias vices habuére, donec Maurítius Sulléius, Parisiénsis epíscopus, ampliórem ecclésiam cathedrálem cœpit ædificáre, cui útraque locum cessit. Illíus primárium lápidem, anno millésimo centésimo sexagésimo tértio, ipse Alexánder tértius Papa, qui tum Parísiis degébat, posuísse dícitur : post elápsos annos novémdecim, altáre majus Henrícus Sedis Apostólicæ legátus consecrávit. Mediánte demum sæculo tértio décimo, sub rege Ludovíco nono, totum opus perféctum est.

℟. O quam metuéndus est locus iste :* Vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli, allelúja. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, bene fundáta est supra firmam petram. Vere.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Ecclésia nostra cathedrális, a Gregório Papa décimo quinto in metropolitánam erécta est, et a Pio Papa séptimo Basílicæ minóris título exornáta. Ritu tamen solémnis consecratiónis sanctificáta non fúerat. Ideo,

Scanné avec CamScanner

peràcta illa refectióne quæ in decúrsu sæculi décimi noni suscépta est, ut ædifícium in formam prístinam restitueretúr quam sive per injúriam annórum, sive per imperítiam hóminum, sive per furórem impiórum amíserat, ritus támdiu exspectátus non défuit. Anno enim millésimo octingentésimo sexagésimo quarto, die tricésima prima Maji, ecclésia beátæ Maríæ consecratiónis sanctificatiónem accépit ab archiepíscopo Parisiénsi, convocátis coepíscopis provínciæ, nec non plúribus aliárum Gálliæ ecclesiárum antistítibus.

℟. Mane surgens Jacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper, votum vovit Dómino : * Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam, allelúja. ℣. Cumque evigilásset Jacob de somno, ait. Vere. Glória Patri. Vere.

Ad Laud. Com. S. Angelæ Mericiæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere ; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

FESTA JUNII

DIE 1 JUNII

II INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

Semiduplex

Invit. et Hymn. ut in Festo.

Ant. et Pss. de Feria.

In I Noct. Lect. de Script. occurr.

In II et III Noct. Lect. e die II infra Oct. ut in Comm.

Ad Laud. et Vesp. Ant. et Pss. e Fer., Capit. et reliqua ut in Festo.

In II Vesperis Com. Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Mm. :

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja.
℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni, Petri atque Erásmi solemnitáte lætíficas : præsta, quǽsumus ; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

DIE 2 JUNII

III INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

Semiduplex

Omnia ut heri.

In I Noct. Lect. de Script. occurr.

In II et III Noct. Lect. e die III infra Oct. ut in Comm.

Pro Ss. Marcellino, Petro atque Erasmo : Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Petrus exorcísta, Diocletiáno imperatóre, Romæ a Seréno júdice propter christiánæ fídei confessiónem missus in cárcerem, Paulínam, Artémii qui cárceri prǽerat fíliam, a dǽmone agitátam liberávit. Quo facto et paréntes puéllæ cum tota família, et vicínos, qui ad rei novitátem concúrrerant, Jesu Christo conciliátos ad Marcellínum presbýterum addúxit, a quo omnes baptizáti sunt. Quod ubi rescívit Serénus, Petrum et Marcellínum aspérius objúrgat, minas adjúngens, nisi Christo renúntient. Cui cum Marcellínus christiána libertáte respondéret, illis graves pœnæ infligúntur. Sed cum utríque ex torméntis fides et ánimus crésceret, ambo constánti confessióne, abscísso cápite, illústre testimónium Jesu Christo dedérunt. Erásmus epíscopus, imperatóribus Diocletiáno et Maximiáno, in Campánia, duríssima supplícia passus,

inde tamen integer evásit. Quo miráculo multi se ad Christi fidem convertérunt. Verum is íterum detrúsus in cárcerem, constríctus férreis vínculis, inde ab Angelo mirabíliter eréptus est. Deínde Fórmiis a Maximiáno váriis affēctus supplíciis, illa étiam torménta divína virtúte superávit. Déni-que plúrimis et in fide confirmátis, et ad fidem convérsis, insígnem martýrii palmam adéptus est.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. Com. Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Mm. :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni, Petri atque Erásmi solemnitáte lætíficas : præsta, quǽsumus ; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dñm.

Vesp. de seq., Com. Oct.

DIE 3 JUNII

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ, VIDUÆ

Duplex

IN I VESPERIS

Capit. Mulíerem et Hymnus Fortem, de Communi non Virg.

℣. Timébunt reges terræ glóriam tuam, Dómine, allelúja. ℟. Et pópulus qui creábitur laudábit Dóminum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Tu honorificéntia * pópuli nostri ; quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, allelúja.

Oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis affectum. Per Dóminum.

Et fit Com. Oct. Dedicationis :

Ant. O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli, allelúja.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo, allelúja. ℟. In longitúdinem diérum, allelúja.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta ; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Clotíldis, Chilperíci regis fília, paréntibus a pátruo Gundobáldo Burgundiónum rege necátis, Clodovéo adhuc éthnico, ab ipso Gundobáldo in cónjugem trádita est. Quæ cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Cum autem infántis, cui nomen impósitum fúerat Ingoméres, in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovéus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios, ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam, ut de útero meo génitum regno suo dignarétur adscíre. Alterum fílium regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit, et appellátus est Clodoméres. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus convaluit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Et.

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

At regína non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret. Sed ille

superstitióni Francórum adhǽsit, donec in expeditióne Alamánnica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Rhemos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium a quo Clodovéus fidem edóctus, baptizátus est, et chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi, Túrones ádiit Clotíldis : ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis, aliísque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúja. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. Proptérea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

Clodoméris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodováldum, Guntárium et Clodoáldum apud se educávit. Tandem plena diérum, Turónibus migrávit ad Dóminum ; et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clodovéi, in sacrário basílicæ sancti Petri, deínde sanctæ Genovéfæ dictæ, ubi religióse colebátur. Exeúnte vero sǽculo décimo octávo, cum ímpii sumpsíssent principátum, et bellum Deo sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ cum áliis relíquiis, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros cíneres piæ manus collegérunt, deínde, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in ecclésia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honorífice asservántur.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur, allelúja. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. Múlier. Glória Patri. Múlier.

In III Nocturno Homil. in Evang. Símile est, de Comm.

Si hoc Festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

Clotíldis, Chilperíci regis fília, Clodovéo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Primogénito post baptísmum mórtuo, objurgávit Clotíldem Clodovéus ásserens deos pátrios irátos sibi fílium eripuísse. Attamen álterum fílium regína cum genuísset, hunc vóluit quoque baptizári, qui cum ægrotáre cœpísset, matris précibus convàluit. Hæc non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololatría, Deum verum cóleret. Tunc Clodovéus, in expeditióne alamánnica auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit et a Remígio fidem edóctus baptizátus est. Post mortem Clodovéi Túrones ádiit Clotíldis, ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, et in vigíliis, eleemósynis et piis opéribus inténta, plena diérum, migrávit ad Dóminum. Ejus corpus Parísios translátum sepúltum est ad latus Clodovéi in sacrário basílicæ sancti Petri, quæ póstea sanctæ Genovéfæ appelláta est. Post perturbatiónem sǽculi décimi octávi, relíquiæ repósitæ fuérunt in nova theca et in ecclésiam sanctórum Lupi et Ægídii urbis Parisiénsis collátæ, ubi nunc honorífice colúntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Tu es Deus, qui facis mirabília, allelúja.
℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam, allelúja.

Ad Bened. Ant. Cum invocásset * Clotíldis ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovéi regis, allelúja.

Oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium: et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis affectum. Per.

Et fit Com. Oct. Dedicationis. :

Ant. Zachæe, festínans descénde, quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est, allelúja.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, allelúja. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram, allelúja.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes : exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Vesp. a Capit. de seq. S. Francisco Caracciolo, Com. præced. :

Ant. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit : sancta glorificávit, et multiplicávit vasa sanctórum, allelúja.

℣. Anima mea Dómino vivet, allelúja. ℟. Et semen meum sérviet ipsi, allelúja.

Oratio

Réspice, quǽsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum.

Deinde Com. Oct. Dedicationis. :

Ant. O quam metuéndus est locus iste : vere non est hic áliud, nisi domus Dei et porta cæli, allelúja.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo, allelúja. ℟. In longitúdinem diérum, allelúja.

Oratio Deus, ut supra.

DIE 4 JUNII

In Festo sancti Francisci Caracciolo

V INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

Ad Laudes et Vesperas Com. Oct. Dedicationis.

DIE 5 JUNII

In Festo sancti Bonifatii

VI INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

Ad Laudes et Vesperas Com. Oct. Dedicationis.

DIE 6 JUNII

In Festo sancti Norberti

VII INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS

Ad Laudes Com. Oct. Dedicationis.

Vesp. de seq. cum Com. ut infra.

DIE 7 JUNII

OCTAVA DEDICAT. BASILICÆ METROPOL.

Duplex majus

In I Vesp. Ant. et Pss. e Feria, Capit. et reliqua de Comm. Dedicat.

Et fit Com. S. Norberti :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus : ut beáti Norbérti Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Ad Matut. Invit. et Hymn. ut in Festo.

Ant. et Pss. e Feria.

In I Noct. Lect. de Script. occurr.

In II et III Noct. Lect. ut in die Oct. e Comm.

Ad Laudes, Horas et Vesp. Ant. et Pss. e Feria.

Capit. et reliqua de Comm. Dedicat.

DIE 10 JUNII

SANCTI LANDERICI

EP. ET CONF.

Duplex

Capit. et Hymnus de Comm.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Landerícum Confessórem tuum atque Pontíficem misericórdiæ viscéribus implevísti : quæsumus; ut, quem páuperum patrem tua grátia effecísti, benígnum pro nobis intercessórem júgiter esse largiáris. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Margaritæ Reginæ, Vid. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæerénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti : da, ut, ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

In II Nocturno

Pater. Absol. Ipsíus. Bened. Deus Pater.

Lectio iv

Landerícus sub Clodovéo secúndo apostólicis virtútibus et méritis cáthedram Parisiénsem decorávit. Cum enim ab ipsa fere pueritia Christo sese totum dedísset, obque spirántem religiónis ánimum clero adscríptus, tam morum quam doctrínæ præstántia ómnibus præeminéret, Audobérto succéssor ómnium votis datus est. Quo auctus honóre, non tam delátæ dignitátis decus quam suscépti óneris offícium considerávit : Deíque et próximi incénsus amóre sic ecclésiæ suæ regéndæ incúbuit, ut néutiquam sua cómmoda, sed divínam glóriam et commíssi sibi gregis salútem per ómnia quæsíerit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. Manus enim mea.

Scanné avec CamScanner

Bened. Christus perpétuæ.

Lectio v

IN TANTUM erga páuperes misericórdiæ afféctu flagrábat pius epíscopus, ut, dira annónæ penúria pópulum affligénte, primum omnem privátam supelléctilem in egéntium subsídia expénderit; deínde ipsa vasa sacra confrégerit, ut Christi membra refocilláret. Nam egéntium greges eódem témpore pius pater pascébat própria manu, erogáta síngulis panis alimónia, seu ope ália impertíta. Caritátis fervóre flagrans, ut infírmis étiam opitularétur, nosocomíum juxta cathedrálem ecclésiam sanctæ Maríæ ædificávit, et censu quo pótuit dotávit. Tandem gloriósus antístes, clarus omni sanctitátis splendóre, in cælum evolávit; conditúsque ad sancti Germáni Antissiodorénsis basílicam, plúrimis coruscávit divínæ glóriæ signis.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

Bened. Ignem.

Lectio vi

POST multos annos, Maurítius Sulléius Landeríci corpus in capsa lígnea cóndidit; quam vetustáte consúmptam reserávit Petrus d'Orgemont, et ipse Parisiórum epíscopus, reperítque in ea, cum óssibus et púlvere córporis, vestiméntis et linteamínibus, schedam in hæc verba conscríptam : Hæc sunt ossa beatíssimi Landeríci, Parisiénsis epíscopi, sic repósita a Maurítio, Parisiénsi epíscopo, et Remígio hujus ecclésiæ decáno ; sed et duas álias schédulas, quarum vetústior et pene corrósa hæc verba continébat : Sancti Landeríci epíscopi. Petrus ossa duo distrácta ecclésiæ parochiáli sancti Landeríci donávit, cétera vero in capsa argéntea repósuit, et pone majus altáre, hábita solémni processióne collocávit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes

operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno, Homil. in Evang. Vigiláte, de Comm. 2º loco.

Pro S. Margarita :

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

MARGARÍTA, ex régia Anglórum stirpe in Hungária nata, post exáctam summa cum pietáte pueritiam, una cum genitóre, qui a sancto Eduárdo pátruo, Anglórum rege, ad patérni regni fastígium vocabátur, in Angliam, dein in Scótiam venit. Ibi, cum ex matris império Scotórum regi Malchólmo tértio nupsísset, sanctimóniæ et pietátis opéribus annis trigínta toto regno prófuit. Máxima erat in ea vitæ austéritas et flagrantíssimum erga próximos caritátis stúdium, præsértim in egénos; pro quibus aléndis, non semel exháusit ærárium. Demum acérbis dolóribus et diutúrno morbo patientíssime tolerátis, ánimam Deo réddidit quarto Idus Júnii. Quo témporis moménto fácies ejus, mácie ac pallóre fœdáta, insólita quadam venustáte reflóruit. Cleméntis décimi auctoritáte in Scótiæ patrónam accépta, ubíque terrárum religiosíssime cólitur.

Te Deum laudámus.

Si hoc Festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso ix Lectio juxta Rubricas sit dicenda, erit sequens

Bened. Ad societátem.

Lectio ix

LANDERÍCUS, sub Clodovéo secúndo apostólicis virtútibus et méritis cáthedram Parisiénsem decorávit. Dei et próximi incénsus amóre, clero adscríptus fuit. Audobérti succéssor eléctus, ita ecclésiæ suæ regéndæ incúbuit, ut divínam glóriam et commíssi sibi gregis salútem per ómnia quæsíverit. Tanta erga páuperes misericórdia pius afficiebátur epíscopus,

ut dira annónæ penúria pópulum affligénte, omnem privátam supelléctilem in egéntium subsídia expénderit. Caritáte fervens, ut infirmis étiam opitularétur, nosocomíum juxta cathedrálem ecclésiam sanctæ Maríæ ædificávit et quo pótuit censu dotávit. Tandem sanctitáte clarus, in cælum evolávit; conditúsque fuit ad sancti Germáni Antissiodorénsis basílicam. Post multos annos, Maurítius epíscopus Landeríci corpus in capsa lígnea cóndidit, et post plúrimos annos alter epíscopus Petrus in theca argéntea idem corpus repósuit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Landerícum Confessórem tuum atque Pontíficem misericórdiæ viscéribus implevísti : quǽsumus; ut quem páuperum patrem tua grátia effecísti, benígnum pro nobis intercessórem júgiter esse largiáris. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Margaritæ :

Ant. Date ei, de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti : da, ut, ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

Vesp. de S. Barnaba Ap., Com. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Justum dedúxit et Oratio Deus, qui beátum Landerícum, ut supra.

Scanné avec CamScanner

Et fit Com. S. Margaritæ :

Ant. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, alleluja.
℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti : da, ut, ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

INDEX
FESTORUM PROPRIORUM
ET COMMEMORATIONUM

FEBRUARIUS

13 B. Reginaldi Conf. 3
25 B. Isabellæ Virg. 6

MARTIUS

Sacrorum Tropæorum Passionis D. N. J. C. 7
10 S. Droctovei Abb. 18
15 S. Ludovicæ de Marillac Vid. 22

APRILIS

9 S. Hugonis Ep. et Conf. 28
18 B. Mariæ ab Incarnatione. 30
22 Inventio Ss. Dionysii et Soc. 34
28 S. Ludovici Mariæ Grignion de Montfort Conf 44

MAJUS

19 S. Yvonis Conf. 51
25 S. Magdalenæ Sophiæ Barat Virg. 52
28 S. Germani Ep. et Conf. 54
29 B. Mariæ Virg. Omn. Grat. Mediatricis. 61
30 S. Joannæ de Arc Virg 74
31 Dedic. Basil. Metropol. 86

JUNIUS

1 II die infra Oct. Dedic.. 88
2 III — — — — 89
3 S. Clotildis Reginæ. 90
4 V die infra Oct. Dedic 94
5 VI — — — — 95
6 VII — — — — 95
7 Oct. Dedicat. Basil. Metropol.. 95
10 S. Landerici 95

Scanné avec CamScanner

INDEX HYMNORUM

Ad sanctos cineres (Joann. Santolii) 36
Aris colenda. 7
Aureliani turribus 76
Christus, humani generis 63
Corona sæviens. 17
Exite, Sion filiæ. 14
Hostium victrix 82
Maria, quæ mortalium 71
O invidenda martyrum. 34
Per ligni nefas. 8
Salve, virilis pectoris. 85
Stat cultrix vigilans. 74

Imprimatur.

Turonibus, die v Februarii MCMLIII.

† LUDOVICUS-JOSEPHUS
ARCHIEPISC. TURON.

Imprimé en France.

1658-1953. — Turonibus, typis Mame.
DÉPÔT LÉGAL : 1er trimestre 1953.

Scanné avec CamScanner